Jahresbericht

über die

Königliche Klosterschule zu Ilfeld

von Ostern 1878 bis Ostern 1879.

Inhalt:

NORDHAUSEN, 1879.
Druck von C. Kirchner.

1879. Progr. № 264.

Quaestiones grammaticae et criticae
ad Quintiliani librum decimum.

Non mirabimini spero,. collegae et adolescentuli carissimi, quid sit quod hac scribendi occasione oblata Quintiliani librum decimum mihi potissimum sumpserim, ad quem nonnihil conferrem vel interpretando vel emendando. Nam per talium scriptionum opportunitates fieri solet, ut eorum aliquid in lucem proferamus, quibus pertractandis quantum per muneris negotia licebat, ingenium ac vires exercebamus. Tum Quintiliani liber decimus ex eo numero est, qui licet non in omnibus scholis in ordinem librorum discipulis legendorum recepti et quasi redacti sint, in nonnullis tamen maximo cum legentium fructu tractantur atque enarrantur.

Neque hoc mirum. Paucos enim vel potius vix ullum ex eis qui vetustatem pertulerunt, existimo posse reperiri librum, in quo, ut alia omittam, litterarum et Graecarum et Latinarum — quarum quidem in studio nos versemur — imaginem tam suavibus coloribus depictam tamque sano iudicio illustratam habeas quam in hoc. Et si verum est quod dicunt, ambitum saltem atque imaginem harum litterarum eis discipulis delineandam esse qui primo ordini adscripti sunt, id facile huius libri lectione adsequemur atque id eo facilius, quia multi viri docti in hoc vel recensendo vel emendando egregiam operam posuerunt, non pauci etiam ipsum hunc librum in usum scholarum ediderunt, quo lectio rerumque intellectus expeditior fieret studiosis adulescentibus.

Omnes hoc loco laudare qui peculiare aliquid ad praestantissimum rhetorem illustrandum contulerunt, nec voluimus nec potuimus — hoc et ab aliis iam factum et toti huius quidem commentationis consilio absonum est; qui tamen nomina numerumque doctorum virorum requiret, inveniet superiorum e. g. apud Gernhardium (praef. p. XII—XV) vel apud Bonellium (lex. praef. p. XIII—XIV), recentiorum titulos apud Ferd. Meisterum Philol. XXXIV p. 740 sq. XXXV p. 534 sq. vel apud Iw. Muellerum (Bursian. IV 6).

Equidem satis habeo eos commemorare, quos in usum meum conferre mihi contigit, ex quibus si primo loco Spaldingium attulero, a peritis pro eo atque ille mereretur fecisse iudicabor: tanta varietate litterarum atque doctrina hic vir doctus in Quintiliano explicando, tanta sagacitate atque ingenii felicitate in emendando versatus est. Prodiit autem Spaldingi editio Lips. 1798—1816 quattuor volumina continens, quintum volumen cum Spaldingius praematuro fato abreptus esset, adiecit Car. Timoth. Zumptius a. 1829 et congessit satis amplam rei criticae materiam ad singulos libros Institutionis oratoriae pertinentem, sextum denique h. e. lexicon Quintilianeum et indices Bonnellius a. 1834 curavit. Secuntur deinceps editiones G. A. B. Wolffi (Lips. 1826—1821) et Gernhardi (Lips. 1830) quas tamen nihil nisi repetitiones Spaldingianae esse aliquanto brevius institutas et accommodatiores ad iuvenum usum ipsi editores palam profitentur. Etiam Zumpti (1831) et Bonnelli (1834)

editiones si commemorare tantum satis habuero, veniam mihi non defore spero. Habemus enim vere novam editionem novis artis criticae subsidiis instructam — Halmi editionem dico a. 1868 in lucem prolatam, qua quid praestandum esset vel praestari posset manuscriptis via ac ratione excussis, perpensis aliorum inventis, ipsius allatis, ingeniose editor demonstravit. Ad Halmium semper redeundum erit ei, qui his temporibus in Fabio recensendo vel emendando operam locabit: Halmius primus artis quae vere dici possit criticae Quintilianeae solida fundamenta iecit. Iam vero ut ad librum decimum revertamur —, Frotscheri editio Lips. a. 1826 in publicum edita in manibus erat, qui permultas notas ex Spaldingio ad verbum ut dicunt recepit ita tamen, ut suis ipse oculis rem accuratius intueretur suumque sibi faceret iudicium ac nobiscum communicaret. Porro Frid. Guil. Augusti i. e. Schneidewini editionem [1]) inspiciebam in eo elaborantis, ut Graecae linguae usum ubicunque poterat cum Latino componeret. Etiam Alberti libello nonnullis locis me adiutum esse ingenue fateor. Longe plurimum autem Bonnelli [2]) et Kruegeri editionibus debeo, quorum ille rebus vel difficillimis explicatu lucem attulit diligentiusque in usum loquendi inquisivit, hic [3]) et Bonnelli interpretationibus et Halmi emendationibus sui iudicii gravitatem apposuit praecipueque vocabula quae ad artem rhetoricam pertinent, dubia nonnunquam et quasi involuta certius accuratiusque definivit.

Habes ante oculos eorum virorum libros quos in rem meam convertere mihi licuit: singulas commentationes suo loco commemorabo. Iam enim tempus me revocat ad ipsam quaestionem, quam ita instituere visum est, ut primum praepositiones et pronomina tractarentur, non omnia illa quidem, sed ea tantummodo, quae novi aliquid ac singularis continent, id quod non prorsus inutile docentibus discentibusque fore sperabam. Addam deinceps promiscue nonnulla, in quibus percensendis editores aut omnino non versati sunt aut a vero aberrarunt vel certe ab eo quod mihi videtur verum esse. Denique finem facient emendationes aliquot, si quidem iure hoc nomen eis indi potest.

Diu multumque a viris doctis disputatum est praepositiones utrum primitus adverbiorum locum obtinuerint necne. Nunc quidem peritioribus linguae arbitris omnes scrupuli exempti sunt: constat enim praepositiones adverbiorum [4]) instar et pondus habuisse. Et sunt sane permulta exempla ex omnibus scriptoribus praesto huic doctrinae suppeditantia. Ex libro de quo agimus huc adferri possunt:

1, 22 ‚Servius Sulpicius atque Messalla, quorum alter pro Aufidia dixit, contra dixit alter‘.

1, 101 ‚supra quam enarrari potest eloquentem‘ h. e. Livii ‚inenarrabiliter‘ (XLI 15, 2).

1, 119 ‚quae sunt extra‘.

3, 32 ‚relinquendae contra erunt vacuae tabellae‘.

7, 9 ‚tum iis, quae ultra spectanda sunt‘. Iam Cicero Verr. II 5, 45 habet: ‚Estne aliquid ultra quo progredi crudelitas possit‘.

7, 16 ‚Intendendus animus ut si per aliquam rectam viam mittamus oculos simul omnia quae sunt in ea circaque intuemur‘. cfr. Cic. de Fin. II 21, 68 ‚Sed tamen et in corpore et extra esse quaedam bona sc. dicunt‘ [5]).

---

[1]) Schneidewini editio Helmstadii a. 1831 foras data est, Alberti autem Lips. a. 1858.

[2]) Bonnelli liber primum emissus est Berol. a. 1851, quartum 1873, Kruegeri primum Lips. 1861.

[3]) Iterum recognovit patris editionem Krueger filius a. 1874 ita ut Halmi textus qui vocatur quasi pro fundamento novae editionis esset.

[4]) cfr. Schoemannum: Redetheile p. 138 sq. egregie ut assolet de propria et principali praepositionum natura disserentem.

[5]) cfr. Ellendt-Seyffert § 192, 1, cui quod dicit: *‚Sonst wird das Nomen wiederholt bei ungleichem Casus z. B.* ‚contra omnia et pro omnibus disputare‘ non sine aliqua exceptione oboediendum esse locus ex Cicerone supra adlatus manifestum facit.

Iam vero ad ipsas praepositiones accedendum erit.

In

praepositio cum Accusativo coniuncta

a. locativam significationem habet in his:

1, 91 ,quid tamen his ipsis eius operibus, in quae donato imperio iuvenis decesserat (sc. Domitianus) sublimius'? tamquam Domitianus sedem ac domicilium in operibus suis haberet. Contra I 12, 12 legitur ,cum ad stilum secedet'. 5, 16 ,ideoque mihi videtur M. Tullius tantum intulisse eloquentiae lumen, quod in hos quoque studiorum secessus excurrit'. 6, 5 ,ideoque totum hoc exercitationis genus ita instituendum est, ut et digredi ex eo et regredi in id facile possimus'. Genslerus[1]) p. 63 ,in id' vix latine, male profecto atque haud canore dictum putat, sed cur male ac vix latine dictum sit, neque ipse docuit, neque doceri posse censeo. Nihil igitur est, cur amplectamur eius correctionem hanc: ,ut et digredi inde et regredi facile possimus'.

7, 28 ,Ita enim servabitur pondus et innatans illa verborum facilitas in altum reducetur'. In altum idem est atque in profundum, ut totus locus vernacule sic reddi possit: ***,So wird nämlich das Gewicht der Rede gewahrt und jene leicht auf der Oberfläche entstandenen und sich bewegenden Worte erhalten Grund und Tiefe'.*** Longe igitur haec locutio differt ab eis quae apud Caesarem eiusmodi leguntur e. g. B. G. IV 28 ,in altum provehi'.

b. Finali sensu praepositio idem valet atque ad:

1, 6 ,verba in universas sc. causas paranda'. 2, 2 ,in exemplum intueri'. 2, 11 ,in exemplum adsumere', ut id sibi exemplum proponant. Saepe argentea aetate ,in' c. Acc. integri enuntiati vices sustinet, quemadmodum Schneidewinus paullo uberius explicat. 3, 23 ,neque enim se bona fide in multa simul intendere animus totum potest'. cfr. 7, 16 ,tum intendendus animus non in aliquam rem unam, sed in plures simul continuas'. ,Se intendere ad' iam Ciceronis est Tusc. disp. II 23, 56: ,ut se intendat ad firmitatem', ,se intendere in' apud Caelium Dam. 8, 42 legimus, ,qui se intenderant adversarios in eius tribunatum'.

5, 12 ,erit in omnes causas paratus' de Gebhardi coniectura perquam ad persuadendum apta pro eo quod est in codicibus ,gratus'. ,Paratus in' etiam Tacitus admisit dial. 41, ,paratus in obsequium' cfr. Draeger ,Syntax u. Stil d. Tac.' p. 35.

7, 19 ,exhortandis in hanc spem qui foro praeparantur utile exemplum'. —

Quod Draeger, Historische Syntax der Lateinischen Sprache' p. 614 habet ***,Erst seit den Augusteischen Dichtern und Livius findet man*** in hoc, id, quod, quid, haec, omnia' his exemplis ex libro decimo depromptis illustratum videmus:

2, 5 ,An illi rudes sola mentis natura ducti sunt in hoc, ut sq.' 2, 6 ,pictores in id solum student, ut describere sciant'. — Paullo insolentius dictum est XII 6, 6 ,in quam rem studendum sit'. 3, 22 ,non audiendi qui credunt aptissima in hoc nemora silvasque'. cfr. Kruegerum ad h. l. 5, 11 ,in hoc optime facient infinitae quaestiones'.[2]) 6, 6 ,cogitatio in hoc praeparetur'.

7, 26 ,rursus in alia plus prior confert'. Hoc prorsus recedit a vulgari usu loquendi ipsius Quintiliani alibi conferendi verbum cum Dat. (e. g. 1, 63. 71. 95) sive cum ,ad' construentis (e. g. 1, 1) cfr. tamen, quod modo citavi 5, 11 ,in hoc facient'.

---

[1]) Analectorum ad editionem Quintiliani Spaldingianam specimen observationes ad librum X continens Coburgi 1822.

[2]) Falsam esse puto Handi sententiam hoc pro Ablativo accipientis et ita explicantis: ,in hoc faciendo facient'. (Turs. III p. 270).

c. temporalem significationem habet in his:

7, 30 ,hi commentarii ita sunt exacti, ut in memoriam posteritatis videantur esse compositi'. Draeger, Hist. Synt. p. 611. *,In temporalem Sinn bedeutet* in *die Bestimmung für (auf eine) Zeit'* Iam Ciceronem ita praepositione de qua agitur usum esse quis est nostrum, quem hoc fugerit? — Accedunt singularia quaedam veluti haec:

1, 42 ,pauca in universum de varietate opinionum dicenda sunt'.

7, 1 ,vix enim bonae fidei viro convenit auxilium in publicum polliceri'. ,In publicum' idem significat atque nostrum *,zum allgemeinen Nutzen'* h. e. in commune, quod iam Ciceronis est Inv. 2, 3 ,Ex nostro quoque nonnihil in commune contulimus'. De eiusmodi locutionibus adverbii vices sustinentibus cfr. Naegelsbachium ,Lat. Stilistik' 5. Aufl. p. 67 sq. Potest etiam huc referri 3, 14 ,quo sibi desperatio in posterum fieret'.

In praepositio cum Ablativo coniuncta

a. significatione locali posita est

2, 15 ,nam in magnis quoqne auctoribus incidunt aliqua vitiosa' h. e. si omnia magnorum auctorum opera percensueris, non unum aliquod. Tum demum ,in' pro ,apud' usurpari, ubi ad omnia scripta auctoris cuiusdam referendum sit, notum ac iam in scholis pervulgatum est.

b. quasi quandam localem significationem etiam in his inesse statuo:

1, 9 ,nam scriptores quidem iamborum etiam in illis (sc. verbis parum verecundis) saepe laudantur'.[1]) Naegelsbach l. l. p. 344 haud inepte vertit: *,im Punkte jener Schlüpfrigkeit'*.

1, 63 ,in parte operis aureo plectro merito donatur'.

1, 64 ,ut quidam in hac eum parte omnibus praeferant'. Spalding in parte pro ob partem, de parte accipiendum esse autumat. Nos rectius dicemus fines praepositione quasi describi, intra quos consistendum sit, ut verbi vis eniteat. Nimirum si in qua re quis laudem meruit, non multum abest, quin ob eam rem laudem meruisse existimetur. cfr. e. g. 1, 93 ,Satura quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius'. Igitur primum localis vis praepositioni attribuenda est, quam tamen paullatim in causalem abiisse loci quos attuli satis docent[2]). Longe aliam in sententiam dicti sunt hi loci 1, 88 ,lascivus in herois quoque Ovidius, laudandus tamen in partibus' et 2, 26 ,est in parte utilior quam haec proxima'. ,In partibus' vel ,in parte' nihil aliud esse nisi Graecum *,ἐν μέρει'* vel nostrum *,nur theilweise'* iam Naegelsbach animadvertit l. sui p. 230[3]). cfr. etiam II 8, 6 ,Hoc mihi in parte verum videtur'.

c. in de tempore dicitur:

1, 89 ,in aetate illa'. 7, 22 ,in praesentia remittendum aliquid ex cura verborum' h. e. *,für den Augenblick, vorläufig'*. cfr. Draegeri Hist. Synt. p. 491: *Regelmässig und in allen Zeilen werden die Bezeichnungen für das Lebensalter mit* ,in' *verbunden. Niemals fehlt* ,in' *vor* ,praesentia'.

d. Iam vero de eis locutionibus dicendum erit, in quibus in praepositio cum Ablativo adiectivi neutralis vel substantivi coniuncta pro simplici adiectivo vel adverbio ponitur. Sunt autem in hoc genere haec habenda:

---

[1]) cfr. V 12, 22 ,nam ut ad peiora iuvenes laude ducuntur, ita laudari in bonis malent' et Cic. Tusc. V 1, 4 ,in hoc me ipse castigo'.

[2]) cfr. Handi Turs. III p. 271, qui tamen in eo errat, quod causalem notionem orationis sententiae absonam esse dicit. ,Locum, inquit, intelliget Quintilianus et dicit Alcaeum, qualis apparet in ea parte operis, qua sq.' cfr. etiam 1, 70.

[3]) In parte posterioris demum aetatis esse Draeger nos docet (Hist. Synt. p. 591). Cicero vulgo habet ,aliqua ex parte' vel simile quid, quemadmodum etiam Fabius locutus est 1, 108 ,ex magna parte'. cfr. 6, 3.

1, 2 ,nisi tamquam in procinctu paratamque ad omnes causas habuerit eloquentiam'. 1, 6 ,debent esse non solum nota omnia, sed in promptu atque ut ita dicam in conspectu'. 3, 33 ,ideoque optime sc. sensus sunt in deposito'. (*und deshalb bringt man sie am besten in Verwahrung*) ex iure petita locutio. cfr. Pandect. 36, 3, 5 ,habere in deposito'. 7, 21, quod est in primis frivolum'. cfr. 1, 77. 105. 7, 24 ,promptum hoc et in expedito positum'. (*Dieses bereit und schlagfertig sein.*) Ex Forcellini copiis comparari licet Sen. ep. 94 (med.): ,Quaedam sunt quidem in animo sed parum prompta: quae incipiunt in expedito esse cum dicta sunt'[1]).

e. Restant duo loci, quos quin apponam retineri non possum.

1, 90 ,multum nuper in Valerio Flacco amisimus'. cfr. Florus 4, 7, 14 ,Brutus cum in Cassio etiam suum animum perdidisset'[2]); vide Osanni progr. V p. 15.

7, 32 ,illud quod Laenas praecipit, displicet mihi in his quae scripserimus velut summas in commentarium et capita conferre'. In his fere idem est atque horum genere loquendi paullo insolentiore. Totum locum corruptela aliqua depravatum esse omnes consentiunt: de emendatione minus constat. Ac ne illud quidem quod Halmius in ordine verborum reposuit, licet Kruegeri aliorumque adsensum reportarit, mihi ex omni parte probatur, nam quid illud ,velut' ante ,summas' sibi velit, equidem non adsequor. Acquiescendum erit — donec quid melius adferatur, in Frotscheri emendatione haud sane improbabili: ,nec (ne BM codices) in his quae scripserimus velim summas in commentarium et capita conferri'. In ,velim' codices, si quid video, paene conspirare videntur. — Et de praepositione in quidem hactenus.

Deinceps dicendum est de

Ad.

Nihil dico de eiusmodi locutionibus:

1, 43 ,ad voluptatem multitudinis imperitae composita' vel 7, 1 ,scribendi facultatem potius ad alia opera convertet'. Haec neque nova sunt et apud omnes scriptores Romanos sescenties inveniuntur. Nihil moror etiam 2, 1 ,ad exemplum virtutum omnium mens derigenda' vel 2, 2 ,omnis denique disciplinae initia ad propositum sibi praescriptum formari videmus' vel 4, 3 ,cui saepius scribere ad praesentes usus necesse est' vel 5, 2 ,ad hunc modum' vel 7, 3 ,ut gubernatori ad incursus tempestatum, sic agenti ad varietatem causarum ratio mutanda est', ubi ad idem valere atque ,secundum' vel ,respectu' nemo non videbit. cfr. Draeger Hist. Synt. p. 538, cuius verba haec sunt: ,*Die modale Praeposition* ad = secundum *überall gebräuchlich seit Plautus und Cato*'. Neque hoc me magnopere movet, quod 6, 4 ,ad verbum' idem valet atque nostrum ,*wörtlich*', quandoquidem constat idem iam apud Ciceronem aliosque probatos scriptores inveniri. Neque hic est locus ut copiosius dicam de 1, 20 ,Ac diu non nisi optimus quisque legendus est, sed diligenter ac paene ad scribendi sollicitudinem': ab aliis hoc iam factum est veluti a Kruegero ,ad scribendi sollicitudinem' locutioni hunc sensum subiciente: ita ut lectio accedat ad sollicitudinem scribendi. Pari igitur sollicitudine, si Fabium sequemur, legendum et scribendum, lectio et scriptio instituenda est[3]). Me

---

[1]) cfr. Naegelsbachium l. l. p. 66 sq. satis magnum numerum horum exemplorum ex Cicerone aliisque adferentem, velut Tusc. V 35, 102 ,in publico', de Off. I 24. 5 ,in tranquillo' idque genus alia.

[2]) cfr. Handi Turs. III p. 267—268.

[3]) Hac interpretatione probata iam aptum assequimur sensum a menteque scriptoris non alienum ut plane supersederi liceat Lochmanni coniectura quamvis leni: ad scribentis sollicitudinem, quae quod etiam Osanno placuit valde miror. cfr. Osanni adnot. crit. in Quint. lib. X Part. II Gissae 1842 p. 12.

tenet 7, 7 ,expletis pro facultate omnibus quae proposuerint pervenisse se ad ultimum sentient' et 7, 16 ,non ultimum tantum videmus, sed usque ad ultimum'. Primum necesse est nos animadvertamus ad praepositionem his locis vere locativam significationem habere longe discedentem a trito illo ad ultimum, quod temporali sensu iam a Livio aliisque adhibetur [1]). Sed hoc fortasse levioris momenti: maius est quod ultimum adiectivum neutrale substantivi pondus et instar habet, nam certis quibusdam finibus hic adiectivi usus a probatis scriptoribus circumscriptus est. — Sed quoniam ad hunc locum veni, haud ab re mihi videtur esse ex Quintiliani libro decimo ea adferre, quae ad hunc usum illustrandum valent. Tenendum quidem est nominativum et accusativum qualem habemus in exemplo modo citato saepissime inveniri, id quod etiam Draegerus Hist. Synt. § 20 confirmat. Pergit autem ille § 21: *,Die übrigen Casus, an denen das neutrale Geschlecht nur durch den Zusammenhang zu erkennen ist, werden selten gebraucht'*. Huc spectant ex libro, de quo agimus,

a. Ablativi formae hae:

1, 86 ,quantum eminentibus (sc. Homeri) vincimur, fortasse aequalitate (sc. Vergili) pensamus'. Haud inepte nos relegant interpretes ad Hor. a. p. v. 144: ,cogitat ut speciosa dehinc miracula promat', vernacule *,Glanzpartien'*.

1, 66 ,tragoedias primus in lucem Aeschylus protulit, sublimis, sed rudis in plerisque et incompositus'. Kruegerus cum vertat *,meistentheils oder in sehr vielen Stücken'* addubitare videtur — si recte viri acutissimi mentem percipio, utrum de neutro adiectivi nude posito cogitandum sit an de adiectivo, quod referri debeat ad antecedentem vocem ,tragoedias'. Sed iam in Ciceronis Laelio legimus IV, 13 ,ut in plerisque', quod sine ulla dubitatione pro neutro habendum est cfr. M. Seyffertum in ed. p. 69 *,Nach der Gewohnheit Cicero's erwartete man allerdings* in plerisque rebus, *wie er sonst gewöhnlich* omnibus rebus *,in jeder Hinsicht' sagt, allein die Regel ist nicht ohne Ausnahme in den Fällen, wo eine Befürchtung der Zweideutigkeit ungegründet ist'*.

3, 5 ,quaeramus optima nec protinus offerentibus se gaudeamus'.

5, 3 ,omnibus enim utimur nostris'. ,Nostris' praedicative dictum est ut idem valeat atque ,ut nostris'. 5, 5 ,optimis occupatis'. 7, 6 ,cum stilus secreto gaudeat'. Huc accedunt eae locutiones quas commemoravimus cum de in c. Abl. dissereremus velut ,in expedito'. Alias sub **a** et **ex** habebis.

b. De Dativo Draeger p. 41 haec habet: *,Besonders selten ist der Dativ, der bei Cicero auf die Form* omnibus *beschränkt zu sein scheint'*. Ex libro decimo praesto sunt:

1, 63 ,sed et lusit (sc. Alcaeus) et in amores descendit, maioribus tamen aptior'. h. e. *,dennoch für erhabenere Stoffe mehr geschaffen'*.

3, 5 ,adhibeatur iudicium inventis, dispositio probatis'.

3, 6 ,sic melius iunguntur prioribus [2]) sequentia'.

5, 11 ,illud virtutis indicium est voluptatem expositis dare et bene dicere multa de paucis'. Spalding ad II 5, 29 ,Expositis noster, inquit, videtur dicere pro communibus, vulgo notis'. 7, 30 ,Plerumque autem multa agentibus accidit, ut subitis ex tempore occurrant. h. e. *plötzlichen, unvorhergesehenen Anforderungen'*.

c. Genitivi haec exempla iam a Draegero adlata sunt:

---

[1]) Ex Cicerone huc referri licet: ad extremum, in extremo.

[2]) De iungendi verbo cum Dativo constructo cfr. Draeger Hist. Synt. p. 393: *,Durch den Einfluss der sinnverwandten Verba composita erklärt sich der Dativ bei einfachen Verbis, die eine Vereinigung und Verbindung bezeichnen. Jungere setzt Cic. nach Belieben mit* cum *und* ad, *das Participium* iunctus *auch mit Dat. od. Abl.'*

3, 32 ,nam interim pigritiam emendandi angustiae faciunt aut certe novorum interpositione priora confundant' et 6, 1 ,haec (sc. cogitatio) aliquid invenit vacui'.

Veniamus nunc ad

A

praepositionem, in qua pertractanda duos tantummodo locos inveni novi aliquid continentes. Totos exscribam.

3, 2 ,Nam ut terra alte effossa generandis alendisque seminibus fecundior fit, sic profectus non a summo petitus studiorum fructus et fundit uberius et fidelius continet' quae vernacule sic fere reddi possunt *,Denn so wie ein tief aufgelockerter Boden fruchtbarer wird um Saaten hervorspriessen zu lassen und zu ernähren, so spendet ein Fortschreiten, welches sich nicht auf der Oberfläche hält, der Arbeit Früchte reichlicher und bewahrt sie getreulicher'*. Profectus non a summo petitus — nova sane locutio est ac mira, quae tamen similitudinem quandam habet cum ,ab imo' cfr. II 8, 15 ,oratio perfecta non est nisi ab imo ad summum omnibus intenta nervis consentiat'[1]).

5, 17 ,adulescentes non debent inanibus se simulacris adsuefacere, ne ab illa in qua prope consenuerunt, umbra vera discrimina velut quendam solem reformident'. ,Ab illa umbra' Schneidewinus idem esse ait atque relicta illa umbratili declamandi exercitatione, quo sensu ab, ex frequentari notum sit. Recte ille quidem hactenus, quod ,ab' praepositioni localem sensum impertitum vult, sed subaudienda est me iudice causa ita ut ,ab' partim *ἀπό* partim *ὑπό* reddi possit.

De

Ante

praepositione nihil mihi dignum videtur esse, quod hic apponam, nisi ante omnia formulam, quae

a. enumerationi inservit in his exemplis:

1, 3 ,dicere ante omnia est, proximum deinde imitatio est, novissimum scribendi quoque diligentia'. 7, 6 ,ducetur ante omnia rerum ipsa serie, deinde quid quaerant, scient, postremum habebunt modum'. Pro ante omnia aliis Fabius locis habet primum omnium cfr. Spaldingium ad IV 2, 4 sex exempla hunc usum testantia adferentem.

b. exaggerandi vim habet in his:

2, 4 ,Ante omnia igitur imitatio per se ipsa non sufficit'. 3, 3 ,Vires faciamus ante omnia'. cfr. Draegerum p. 556: *Die häufigen Formeln* ante omnia, omnes, alios, ceteros *sind durchweg poetisch und unklassisch, nur* ante omnes *steht auch schon bei Plautus.*[2])

Circa et Citra.

Quod Bonnell ed. p. 16 posuit: *,Mit seinen Zeitgenossen theilt er folgende Abweichungen vom Sprachgebrauche der Zeit Cicero's:* circa *in der Bedeutung ,in Betreff',* citra *statt* sine,[3]) his locis confirmatur:

---

[1]) cfr. Naegelsbach l. l. p. 66—68.

[2]) cfr. etiam Hand. Turs. I p. 386—389.

[3]) Ac ne quis hoc ita dictum putet, tamquam Fabius a praepositione ,sine' abhorruerit, adeat velim 1, 24; 2, 4; 3, 2; 4, 1; 7, 5. Unus maxime memoratu dignus est locus quem legimus 1, 51. ,Verum hic sc. Homerus omnes sine dubio procul a se reliquit, epicos tamen praecipue'. Iunguntur, ut ait Spaldingius ad I, 6, 74, hae voces saepe a nostro eiusque aequalibus eo significatu, quo est Francogallorum ,sans doute', cum introducitur exceptio, sed quae non esse magni momenti deinde ostendatur, ubi secuntur particulae sed, autem, tamen, retro spectantes ad illud sine dubio, est ergo pro quidem.

1, 52 ‚utiles circa praecepta sententiae sc. Hesiodi sunt'. 2, 14 ‚exactissimo iudicio circa hanc partem studiorum examinanda sunt omnia'. 5, 5 ‚ego paraphrasim esse volo circa eosdem sensus certamen atque aemulationem'. cfr. 5, 6 et 1, 2 ‚citra lectionis exemplum labor ille fluitabit'. 7, 6 ‚Postremo habebunt modum et finem, qui esse citra divisionem nullus potest'.

Sequitur

Ex.

Huius praepositionis argentea aetate late patet is usus, ut coniuncta cum adiectivo vel substantivo adverbii vices sustineat, quem usum Cicero aliique probati sermonis scriptores non fugerunt quidem, sed rarius admiserunt, quippe praeferentes in hoc genere d e. Huius autem aetatis scriptores cum ita ‚ex' adhiberent, ad Graecum ‚ἐξ' sese composuisse exempla manifestum faciunt qualia sunt *ἐκ τοῦ εὐθέος* vel *ἐκ φανεροῦ* aliaque. Ex libro de quo agitur comparari licet:

1, 18 ‚e contrario' iam a Cicerone usurpatum 1, 20; 3, 6 ‚ex integro' 1, 20. 125; 3, 18; 5, 9 ‚ex industria'. (*Früher sagte man nur* de *oder* ab integro, de industria Kruegerus adnotat.) Bonnellius haud improbabili ratione usus huc transferri vult etiam haec: 1, 121 ‚tanta in quibusdam ex periculo petitis significantia' h. e. *eine solche Anschaulichkeit selbst in gewagten Ausdrücken* et 7, 6 ‚nec confundent ex diversis orationem' pro ‚ex diverso', quod argenteae aetatis scriptoribus in deliciis fuisse constat![1]) Quamquam si quis aliter existimaverit, equidem non pertinaciter obloquar. Fortasse quispiam ipsam hanc interpretationem, quasi e x d i v e r s i s pro e x d i v e r s o accipiendum sit e x p e r i c u l o p e t i t a m dixerit.

b. Temporis significationem praepositio habet in locutione ‚ex tempore', quam idem valere atque nostrum *‚aus dem Stegreif'* vel Graecum ‚*ἐκ καιροῦ*' ne tirones quidem effugere potest. Quaerentes autem qua ratione huic locutioni hic sensus subnasci potuerit, revocamur ad aliud eiusdem generis ‚ex itinere' a Caesare adamatum, in quo ‚ex' nostrum *‚unmittelbar von — aus'* significare pro certo nunc ponimus ac confesso. Igitur ex tempore circuitu plurimum verborum explicandum erit ‚ex ipso rei praesentis instinctu'. Legitur autem: 3, 2. 17; 7, 1. 4. 28. 30; cfr. Cic. pro Archia VIII, 18 ‚quotiens ego hunc vidi cum litteram scripsisset nullam, magnum numerum optimorum versuum dicere ex tempore'.

c. De ‚ex magna parte' (1, 108) vel ‚maxima ex parte' (6, 3) iam dictum est et de ‚illa ex Latinis conversio' (5, 4) nihil opus est nunc dici, quandoquidem iam Zumptius Grammat. lat. § 681 nos docuit substantiva non raro constructionem verborum ex quibus orta essent imitari. Ciceronis ‚adventus in Italiam' vel ‚domum itio' idque genus alia hodie quidem neminem offendunt. cfr. Prolegomena de Grammatica Quintilianea a Bonnellio condita in lex. Quint. p. XXXIV—XXXV.

Restat ut pauca addenda videantur de loco quem legimus 7, 10 sic: ‚quantum dicendo consumitur, tantum ex ultimo prorogetur sc. oportet'. Fuerunt qui e x u l t i m o ad verba antecedentia referri vellent ut idem esset atque e x e o, q u o d m o d o d i c t u m e s t, in quibus etiam Wolfium fuisse haec ipsius conversio manifestum facit. Sed mirum in errorem inciderunt illi quidem, iam Frotscherus vidit ex ultimo non aliter intelligi posse nisi de eo quod dicendum est vel modo dicetur. Profecto qua ratione quis iuberi possit dicendo ab eis quae iam dixerit auxilium petere hoc me ne

[1]) cfr. Draegeri Hist. Synt. p. 590.

[2]) ‚Ex tempore' dicitur etiam de rebus tempori convenientibus eodem sensu atque ‚pro tempore', ‚e re nata', ‚*κατά καιρόν*', quo sensu legimus e. g. apud Cic. ad Fam. XII 19 ‚sed haec melius ex re et ex tempore constitues', sed hanc significationem ab eis locis quos nos citavimus alienum esse unus quisque facile *αὐτοψίᾳ* quam dicunt sibi persuadebit. cfr. etiam Hand. Turs. II p. 650.

divinando quidem assequi libere atque ingenue fateor. Est ‚ex ultimo' per terminum orationis iam in scholis pervulgatum dictum pro nostro *‚vom Ende aus'* totusque locus sic fere reddendus erit: *‚so viel im Reden drauf geht, so viel muss er sich im Voraus vom Ende aus flüssig machen und so gewissermassen seine Zahlungsfähigkeit länger hinausschieben'*, ut ne in inopiam redactus bonam copiam eiuret. Nam ad pecuniarum solutionem a scriptore imaginem expressam esse haud difficile est ad intelligendum.

Extra, Ultra, Supra, Intra.

Uno verbo attingam quae leguntur:

3, 33 ‚debet vacare etiam locus, in quo notentur, quae scribentibus solent extra ordinem occurrere' et 3, 32 ‚ne latas quidem ultra modum esse ceras velim', utrumque iam Ciceroni probatum. Non magis tale quid horruisset Cicero 2, 7 ‚nihil in poetis supra Livium Andronicum, nihil in historiis supra pontificum annales haberemus'. Rarius ille ‚intra' tralaticio sensu usus est, quo adhibitum legimus apud Fabium: 6, 2 ‚neque vero verum ordinem modo intra se ipsa disponit sc. cogitatio et 7, 25 ‚dum tamen quasi dicat intra se ipsum' h. e. intra pectus, quemadmodum Handius (Turs. III p. 486) recte interpretatur.

Venio nunc ad praepositionem

Inter.

Quod iam Cicero admisit ut hac praepositione de tempore uteretur (cfr. ad Quint. fratr. 3, 1. 6 ‚Haec inter cenam Tironi dictavi'), idem etiam Quintilianum sibi sumpsisse non est quod miremur. Spectant huc:

6, 1 ‚haec sc. cogitatio inter medios rerum actus aliquid invenit vacui' et 6, 5 ‚inter dicendum'. Coaluerunt quasi in unius notionis corpus loci et temporis significationes ita ut inter fere idem esset atque in cfr. Draegerum Hist. Synt. p. 565.

Longius recesserunt argenteae aetatis scriptores ab ea quam Cicero fovit scribendi consuetudine, cum dicerent ‚inter paucos' eodem sensu atque ‚in primis' vel ‚maxime'. Probe scimus id quod notum est et apud omnes pervulgatum, Ciceronem ad eminendi vel excellendi verbum apposuisse ‚inter omnes', ut unum omnium maxime floruisse quendam appareret, sed ‚inter paucos' apud illum hoc certe sensu quantum scio non legitur. Ex Quintiliani libro decimo unum tantummodo exemplum in promptu est. 3, 13 ‚Iulius Florus, alioqui inter paucos disertus'.

Neque minus abhorret a Ciceronis usu loquendi, quod legimus 1, 75 ‚Xenophon non excidit mihi, sed inter philosophos reddendus est' vel 1, 116 ‚Cassius Severus si ceteris virtutibus colorem et gravitatem orationis adiecisset, ponendus inter praecipuos foret'[2]). Livius primus hoc praepositionis usu praeiit cfr. Hand. Turs. III p. 401. De inter se et inter ipsos dicam, cum ad pronomina accessero.

Proximus est locus praepositionis

Per

quae vulgarem loci notionem habet e. g. in his 7, 16 ‚si per aliquam rectam viam mittamus oculos'. Sed hoc usu tritum est: minus vel potius non a probatis quidem scriptoribus receptum hoc:

---

[1]) cfr. Draegerum Hist. Synt. p. 569 ‚Intra *im übertragenen Sinne sehr vereinzelt bei Cicero*'.

[2]) Typothetae culpa apud Draegerum p 567 pro ‚praecipuos' ‚principes' expressum est.

1, 87 ‚Atacinus Varro in iis ‚per quae nomen est assecutus‘. Argentea demum aetate in eiusmodi locutionibus ‚per haec‘, per quae per praepositionis propter vim obtinere ab Handio Turs. IV p. 445 discimus. cfr. etiam Draegerum p. 565. Idem Draegerus p. 560 haec habet: *‚Uebertragen beim Verbum* ire *steht* per *vor der Rede, den Gedanken oder Gefühlen, die sich durch oder über etwas erstrecken, jedoch nur bei den Dichtern und im silbernen Latein‘.* Atque haec ipsa verba auctor illustrat duobus ex Quintiliano depromptis exemplis: 5, 21 ‚per totas ire materias‘ et XI 1, 84 ‚patrono quoque per similes affectus eundum erit‘. cfr. 3, 17.

Ad finem huius quidem partis prodeant loci, quibus ‚per‘ idem significat atque ‚quod attinet ad‘ vel graecum *παρά τι*, quam significationem a locali profectam esse veri non caret similitudine. Huc referenda sunt 1, 28 ‚meminerimus tamen non per omnia poetas esse oratori sequendos‘, vel 1, 85 ‚idem nobis per Romanos quoque auctores ordo ducendus est‘.[1])

Quae restant, non magni illa quidem momenti sunt, sed fortasse non prorsus silentio praetermittenda. Atque primum

Praeter

praepositio in locutione ‚praeter id quod‘ proxime accedit et sensu et formatione ad ‚praeterquam quod‘ a probatis scriptoribus adamatum. Praeterquam bis tantum apud Quintilianum invenitur IV 2, 64 et V 10, 105, in hoc de quo agimus libro nunquam. Illud autem habemus 1, 28 et 3, 6 subsequente ‚quoque‘ adverbio, et 2, 26 subsequente ‚tum‘. Patet hoc loco eandem fere vim habere atque primum, quare Schneidewinus non inepte Graecorum *τοῦτο μὲν — ἔπειτα δέ* (Soph. Ant. v. 61) in exemplum adsumit.

Pro

Visum est ea tantummodo exempla apponere, ubi pro idem est atque nostrum *‚nach Massgabe, nach Verhältniss‘*. Huc spectant 7, 7 ‚expletis pro facultate omnibus‘: iam Cicero ‚pro viribus‘ similiter dixit. 7, 28 ‚quid loquemur ubicumque, sit pro sua scilicet portione perfectum‘, a Cicerone quidem repudiatum — dixisset ille ‚pro sua parte‘ — sed iam a priscis scriptoribus adhibitum. cfr. Holtze: Synt. prisc. script. Lat. p. 348. —

Denique

Propter

praepositio eadem significatione atque ‚causa‘ his locis scripta invenitur: 1, 10. 66; 3, 39; 5, 23; 7, 6 ‚propter quod‘, 1, 61; 3, 30 ‚propter quae‘.

Si a propterea recesseris, hunc praepositionis usum apud scriptores probati sermonis studiosos frustra quaesiveris.[2])

---

[1]) cfr. Spaldingi adnotationem ad I 5, 19.

[2]) Quando praepositio ad plura verba pertineret aut repeti solere sive eandem sive similem aut semel poni iam Bonnellius animadvertit et duobus omissae praepositionis exemplis ex libro decimo petitis confirmavit (2, 16 et 7, 26) cfr. Prolegomena de Gramm. Quint. ap. XXXV. Igitur Ed. Wunderi legem pro Plancio p. 120 Ciceroni obtrusam, tamquam praepositio in eiusmodi locis semper repetenda esset, Fabius aut non novisse aut neglexisse videtur, quemadmodum etiam ab aliis scriptoribus veluti a Cornelio Nepote factum est. cfr. Lupus: der Sprachgebrauch des Corn. Nep. p. 83.

Satis aut certe uti potuimus dictum est de praepositionibus: videamus nunc

Pronomina.

Jam a magistris nostris accepimus nosque ipsi ad discipulos propagamus pronomen demonstrativum is saepenumero omitti, ubi relativi ad quod spectet idem casus subsequatur, vulgo non omitti, ubi hoc non ita sit. Recte nos quidem, si certam definitamque legem studiosis adulescentibus proponere nobis in animo est, sin de usu singulorum scriptorum quaeritur, plane aliter rem se habere confitebimur. Veluti Quintilianus in eo de quo agimus libro modo ponit pronomen, modo omittit. Atque paullo liberius omissum est in his:

1, 9 ‚omnia verba exceptis (sc. iis) de quibus dixi, sunt alicubi optima'. 1, 104 ‚habet amatores Cremuti libertas quamquam circumcisis (sc. iis) quae dixisse ei nocuerat'. 7, 19 ‚exhortandis in hanc spem (sc. iis) qui foro praeparantur utile exemplum'. 7, 24 ‚hac uti sic optimum est, ut cotidie dicamus audientibus pluribus maxime (sc. iis) de quorum simus iudicio solliciti'.

Sed haec non ejusmodi sunt, quae a Ciceronis ratione loquendi prorsus abhorreant.[1]) Neque minus Cicero hunc usum amplexus est, ut aliquis vel quidam consulto omitteret ita ut omissum hoc esse ex ipsius orationis conexione pateret. Huc referenda sunt exempla qualia sunt: 1, 7. 56; 2, 24; 7, 4. 25, ex quibus si ultimum tantum exscribam, propter spatii angustias veniam impetraturum me esse confido. Loquitur l. c. ita auctor: ‚Est et illa exercitatio cogitandi totasque materias vel silentio, dum tamen quasi dicat sc. quidam vel *τίς* intra se ipsum, persequendi' quocum velim conferas Cic. pro Caec. 19, 54 ‚si via sit immunita, iubet qua velit, agere iumentum. cfr. Draegeri Hist. Synt. p. 83—84.

At Ciceronis non est quod legimus:

1, 40 ‚cum se Cicero ab illis quoque auctorihus ingeniosis quidem sed arte carentibus, plurimum fateatur adiutum'. Dubium esse non potest, quin Cicero ingeniosis illis quidem vel potius iis quidem dicturus fuerit.[2]) cfr. Draegerum p. 68.

Habetis de omissis pronominibus, nunc quemadmodum adhibita sint, considerate. Tralaticium est a multisque notatum in duobus membris eiusdem enuntiati hic ad propinquius, ille ad remotius referri, cuius regulae illustrius exemplum exstat nullum hoc: 1, 73 ‚densus et brevis et semper instans sibi Thucydides, dulcis et candidus et fusus Herodotus, ille concitatis, hic remissis adfectibus melior, ille contionibus, hic sermonibus, ille vi, hic voluptate'. cfr. Lupus l. l. p. 117 ‚***Es weist, ohne Rücksicht auf die ideelle Wichtigkeit des einen oder des andern der beiden Objecte,*** hic ***auf das im Text nähere.***' Sed non semper hanc legem servatam esse iam Ruhnkenus ad Ter. Andr. I 4, 6 adnotavit. Ex libro de quo agitur huc pertinet 2, 12 ‚quo fit, ut minus sanguinis ac virium declamationes habeant quam orationes, quod in illis vera, in his adsimilata materia est'.[3])

---

[1]) Satis erit Zumptium laudare Gramm. lat. § 765.

[2]) ‚Iis quidem' praetulisset Cicero ut ne quis offenderet in ‚ille' pronomine male repetito. cfr. de Fin. V 24, 71 ‚illa enim, quae sunt a nobis bona corporis numerata, complent ea quidem beatissimam vitam, sed ita' e. sq.

[3]) Uno saltem verbo ne quid sciens praetermittam, de pronomine relativo dicam. Mirum est quod Halmius licet ad lib. I 10, 1 adnotaverit: ‚in talibus enuntiatis (quale est I 10, 1 ‚orbis ille doctrinae, quem Graeci *ἐγκύκλιον παιδείαν* vocant') genus pronominis relativi substantivo antecedenti, non praedicato accommodare solet', X 7, 1 secum non constitit. Legimus enim ‚Est enim usus quidam irrationalis, quam Graeci *ἄλογον τριβήν* vocant'. Certum iudicium ferre non audeo, neque enim omnes Quintiliani locos adhuc excussi, quod necesse est nos faciamus, ut litem discernamus. Schneidewinus quidem confidenter in editione posuit: ‚Cum nonnisi alia eiusdem rei dominatio indicetur, perperam posueris quam'.

Sequitur ut de

Ipse

dicendum sit. Nihil moror ,ipse' idem significans atque nostrum ***,von selbst, schon allein'***, quemadmodum Graeci *αὐτός* adhibere solebant cfr. e. g. 3, 21 ,tum illa quae altiorem animi motum secuntur quaeque ipsa animum quodammodo concitant, . . ridicula sunt'. Missum facio etiam locum quem legimus 1, 103 ,Bassus Aufidius genere ipso probabilis, in operibus quibusdam suis ipse viribus minor', nam hic pronominis usus tanquam genitivi loco stare videatur, neminem tironem effugerit. Supersederem etiam de locutione ,et ipse' pluribus exponere idem valente atque Graeco illo ***,καὶ αὐτός'***, nostro ***,gleichfalls, auch seinerseits'***, nisi tribus locis diversam sententiam a Kruegero propositam viderem. Nempe 5, 4 ,sed et illa ex latinis conversio multum et ipsa contulerit' cum Bonnellio ita accipiendum esse autumat, ut ,multum et ipsa' significet nostrum, ***,viel und zwar an und für sich selbst'***. Quamquam necessitatem huius interpretationis non ita facile quisquam adsequetur. Nos rectius ,et' pro ,etiam' positum esse dicemus, ,et ipsa' autem locutioni vulgatam adscribemus significationem. Non melius res cessit editori alioqui circumspectatissimo 5, 20 et 7, 26 interpretanti. Habet Fabius 5, 20 haec: ,tum causas vel easdem, quas agi audierit, stilo et ipse componat vel etiam alias, veras modo et utrimque[1]) tractet' et 7, 26 ,motum corporis, qui et ipse excitat oratorem et iactatione manus hortatur', in quibus plane non habemus, cur a vulgari interpretatione recedentes cum Kruegero et ipse ***,auch selbst'*** explicemus. Nimirum offendit vir doctus in sequenti et, utpote quod male cum et ipsa coiret. Sed frustra ac sine causa. Tenendum enim est, quod iam Zumptius rectissime animadvertit (Gramm. lat. 698) ,et ipse' quasi in unam notionem conflatum tunc poni, ubi idem praedicatum quod iam aliis impertitum sit in novum subiectum trahatur[2]). cfr. Cic. pro Cluentio 51, 141 ,Deinde Crassus, ut intellegere posset Brutus, quem hominem lacessisset, tres et ipse excitavit recitatores' h. e. ***,Darauf liess Crassus, wie sein Gegner gethan hatte, ebenfalls drei Vorleser vorrufen'***. Atque ut ad Fabium revertamur, dicere vult scriptor, si paullo copiosius explicare licet, quod ille paucis quidem, sed bene ac non obscure absolvit 5, 20: ,causas et ipse componat iuvenis, quas iam alii oratores consummati composuerunt' vel 7, 26: ,motus corporis et ipse oratorem excitat aeque atque eiusdem generis alia eum excitare solent'. — Neque multo aliter res sese habet 6, 1: ,Proxima stilo cogitatio est, quae et ipsa vires ab hoc accipit et est inter scribendi laborem extemporalemque fortunam media quaedam', quem quidem locum Kruegerus intactum reliquit, Spaldingius et Frotscherus in dubitationem devocaverunt, quippe offendentes in subsequenti et, pro quo primitus ,estque inter scribendi laborem' sq. fuisse suspicantur. Neque enim commodam relationem esse inter et — et, cum prius rectius coalescat cum ipsa. Hoc refutari nihil opus est, necesse est nos fateamur neque librorum fide neque rationis momentis hanc Spaldingi coniecturam fulciri.

Utrum Cicero ,et ipse' hac significatione usus sit necne, discrepant viri docti et adhuc sub iudice lis est. Velut Madvicus unus exactissimus Latinae linguae arbiter (de Fin. V 22 p. 718) ,Et ipse, inquit, apud Ciceronem legitur incerta fide pro Caes. 58, ad Att. VIII 7, 1'. Draegerus et ipse in disciplina grammatica si quisquam versatus Hist. Synt. p. 65 quinque locos ex Cicerone adfert hunc usum comprobantes, unum tantummodo illum pro Cluentio certum atque indubitatum esse confirmans, unde ille num recte collegerit Ciceronem admisisse hanc constructionem equidem

---

[1]) hoc est in utramque partem, ut ait Caesar e. g. de bello Gallico V. 30, ut nos dicimus ,pro et contra'.
[2]) cfr. etiam 1, 31. 102.

discernere non ausim. Mihi tota haec quaestio artissime cohaerere videtur cum altera illa, num et apud Ciceronem nonnullis locis idem sit atque etiam. Priusquam haec lis diiudicata est omnibus qui huc pertinent locis ea qua par est diligentia collectis, examinatis, perpensis, ne illa quidem diiudicari potest. Interim ego Ciceronem in epistulis certe et in scriptis philosophicis, quae sermonem familiarem et quotidianum imitantur, et pro etiam dixisse cum Schoemanno (op. acad. III p. 299) credo, ubi vim illam quam habet etiam, paullo lenius significatam satis esset.

Sed nolo in huiusmodi rebus levioribus morari. Quamquam nihil leve est in arte grammatica: graviora deinceps persequamur. — Romanis scriptoribus certam quandam legem fuisse, ut ‚inter se' nonnisi ad nominativum et accusativum referrent, ad ceteros autem casus vel ‚inter se' vel ‚inter ipsos' traherent, primus Ruddimannus II p. 55 animadvertit[1]). Quam regulam etiam Quintilianum secutum esse ex his exemplis colligi potest: 1, 14 ‚non semper enim haec inter se idem faciunt'. 2, 15 ‚nam in magnis quoque auctoribus incidunt aliqua vitiosa et a doctis inter ipsos etiam mutuo reprehensa'. 2, 23 ‚cum sit diversa non causarum modo inter ipsas condicio, sed in singulis etiam causis partium sintque alia leniter alia aspere, alia concitate alia remisse, quorum omnium dissimilis atque diversa inter se ratio est'.

Exposui quae maxime ad ipse pronomen pertinere arbitrabar. Venio ad pronomina indefinita.

Aliquis.

a. In sententiis negativis positum est his:

1, 40 ‚vix ullum existimo posse reperiri, quin iudicium adhibentibus adlaturus sit utilitatis aliquid', quo de usu Draegerus Hist. Synt. p. 75 haec habet: *‚Wenn zwei Negationen sich aufheben, der Gedanke also positiv wird, kann nur* aliquis *stehen'*[2]). Habemus sane, quomodo ‚aliquis' in hoc enuntiato explicemus. Sed patet etiam alia via ac ratio, de cuius veritate non magis ambigi potest. Nempe in eiusmodi locutionibus quales sunt ‚aliquid afferre, conferre, proficere, remittere' obscuratur quodammodo pronomen coalescitque cum verbo in unam notionem ita ut scriptores vel in enuntiatis vere negativis ‚aliquid' patienter tolerarint. cfr. Madvicum de Fin. II 27, 4 p. 290; cfr. etiam Draegeri Hist. Synt. p. 74—75.

Videamus reliqua exempla:

2, 26 ‚in tanta rei difficultate unum intuentis vix aliqua pars sequitur'. 7, 16 ‚tum intendendus animus non in aliquam rem unam, sed in plures simul continuas'[3]). Non ita facile est de hoc pronominis usu breviter et distincte dicere. Fortasse ad veritatem propius accedemus, si quaesiverimus quidnam interfuisset, si pro ‚aliquis' Fabius ‚ullus' posuisset. Nam utrumque promiscue habendum esse nemo facile sibi persuadebit. Patet auctorem si ‚ullus' in illius locum substituisset, et partem et rem prorsus nullam esse dicturum fuisse, id quod minime sententiae eius conveniens erat. Immo est aliqua pars (*es ist ein und der andere Theil*), sed vix sequitur unum intuentes; est res vel potius sunt res, sed non una atque altera respicienda est, sed plures simul continuae.

---

[1]) Hanc quaestionem cum alii tractarunt, tum omnium accuratissime Handius in Tursellino III p. 398—399;

[2]) cfr. etiam 7, 27 ‚neque enim fere tam est ullus dies occupatus, ut nihil lucrativae operae ad scribendum rapi aliquo momento temporis possit'.

[3]) Simillime Cicero loquitur Or. 61, 206 (fin.) ‚non ad unam enim rem aliquam, sed ad plures accommodatur'. Cum ‚singuli' numerale singulari quem vocant careat, ‚unus aliquis' quasi singularis vices habet apud Ciceronem, Quintilianum aliosque. cfr. etiam 2, 23. 24. ‚Quilibet unus' iam a Livio adamatum legimus 1, 1 ‚quod esset diligentius nobis examinandum, si qualibet earum rerum possemus una esse contenti'. Cicero autem ‚quivis unus' vel ‚unus quidam' habet. cfr. Draeger p. 83.

Ceterum ,ulla' pronomen in altero enuntiato repositum omnino nihili esse in aperto est. Rectissime igitur Draegerus in libro suo iterum atque saepius laudando p. 73: *,Im negirten Satz wird nicht die Existenz des mit* aliquis *bezeichneten Begriffes geleugnet, sondern das affirmative Verhältniss ist vorhanden, kommt aber nicht zur Anwendung'*. cfr. etiam Haase ad Reisigium p. 339 adn. 352.

b. In enuntiationibus condicionalibus modo aliquis modo quis Quintilianus habet certo discrimine intercedente nullo, nisi forte quis ,si aliquis', *,wenn überhaupt Jemand,' ,wenn ein Bestimmter'* ,si quis' *,wenn vielleicht Einer'* vertere mavult. Duo exempla exscribere satis erit: 2, 23 ,si asperitas iis placuit alicuius', 7, 2 ,quarum si qua non dico cuicunque*) innocentium civium, sed amicorum ac propinquorum alicui evenerit'. —

Quidam

pronomen a Cicerone saepenumero ad vim audaciamque loquendi mitigandam adhiberi adiungique etiam ,quasi' vel ,tamquam', ut quasi quidam vel tamquam quidam dicantur, quis est nostrum, quem hoc praeterierit? Plenae sunt omnes Ciceronis orationes, pleni omnes libri exemplorum hunc usum testantium. Itaque minime mirum est, quod Quintilianus hoc ipse sibi permisit. Ex libro de quo quaestio fit huc pertinent: 1, 1. 5. 7. 54. 64. 72. 76. 81 (bis). 103. 109; 3, 10. 11. 15; 5, 17; 6, 1; 7, 1, 8. 11. 22. Potest etiam huc referri 1, 71 ,plus adhuc quiddam' idem ac ,πλέον τι'. Late igitur patet hic usus loquendi, ut tuo iure mireris Halmium uno loco 1, 81 vulgatam codicum scripturam deseruisse. Exhibet G (Bambergensis) codex optimae notae: ,multum enim supra prosam orationem, quam pedestrem Graeci vocant, surgit (sc. Plato) ut mihi non hominis ingenio, sed quaedam (G) (quoddam M) Delphico videatur oraculo de (G) instinctus', quod Halmius ita mutare necesse habuit, ut reponeret pro quaedam sive quoddam tamquam (Delphico videatur oraculo instinctus), quam tamen coniecturam licet Kruegerus tacito assensu comprobaverit, equidem amplectendam non esse censeo, si quidem propius et ad codicum vestigia et ad Quintiliani usum accedere videtur, quod Frotscherus scribendum suadet: ,sed quodam Delphici videatur oraculo dei instinctus'. Ordo verborum non satis concinnus Frotscherum non ita movere debebat, ut magis sibi placere profiteretur: ,sed Delphico videatur oraculo dei instinctus'. Age sis confer mecum e. g. 1, 41 ,quotus enim quisque inveniri tam demens potest, qui ne minima quidem alicuius certe fiducia partis memoriam posteritatis speraverit'?: iam intelleges hunc verborum ordinem Quintiliani mori non absonum, sed plane congruentem fuisse. *Αἱ δευτέραι φροντίδες* non semper meliores sunt prioribus.

Nihilo melius aut etiam deterius quam Halmius Genslerus in commentatione supra laudata (p. 40) 1, 76 pro eo quod codices habent omnes ,tanta vis in eo (sc. in Demosthene), tam densa omnia, ita quibusdam nervis intenta sunt' scribendum proposuit: ,ita quaeque nervis intenta sunt'. Exempla qualia sunt 3, 10 ,frenis quibusdam' vel 3, 11 ,increduli quidam' satis superque quasi quandam Fabi verecundiam ostendunt, qua vel unius verbi metaphoricam immutationem sive excusare sive lenire studet.

---

*) Simile quid, ut ,quicunque' indefiniti pronominis vim habeat, licet rarius et multo artioribus finibus inclusum iam apud probatos scriptores invenimus. Quamquam facile est omnibus eiusmodi locis verbum ,posse' vel simile cogitando supplere. cfr. e. g. Cic. in Catil. II 5, 11 ,quae sanari poterunt, quacunque ratione sanabo'. Paullo liberius Fabius etiam 1, 12 loquitur ,nam per abusionem sicarios etiam omnis vocamus, qui caedam telo quocumque commiserunt'.

Quidlibet

mirum in modum positum occurrit in Halmi editione 2, 17 ,ideoque qui horride atque incomposite quidlibet illud frigidum et inane extulerunt, antiquis se pares credunt'. Non satis me intellegere fateor, quam sano conexu quidlibet h. e. *,irgend etwas beliebiges'* cum pronomine illud h. e. ***,jenes bekannte'*** consociari possit. Me iudice aut quamlibet illud frigidum cum codice Monacensi scribendum est, id quod Bonnellius aliique fecerunt secundum illud 3, 19 ,in stilo quamlibet properato', et explicandum: ***,jene wenn auch noch so geist- und gehaltlosen Gedankengebilde'***. cfr. Buttmannum apud Spaldingium V p. 420 ,quamvis illud quod efferunt sit frigidum, cum contra veteres illi magnifice senserint, horride elocuti sint', aut illud — si cui hoc non tamen de nihilo esse videatur, ex textu quem vocant removendum est, quippe quod facile librariorum calamo subnasci potuerit propter quandam antecedentium vocabulorum similitudinem.

Res ipsa postulare videtur ut de sequentibus verbis pauca addam. Vulgatur ab Halmio: ,qui carent cultu atque sententiis, Attici scilicet, qui praecisis conclusionibus obscuri, Sallustium atque Thucydidem superant, tristes ac ieiuni Pollionem aemulantur, otiosi et supini, si quid modo longius circumduxerunt, iurant ita Ciceronem locuturum fuisse'. Totus locus quamvis paullo longior adscribendus erat, ut accuratius totius orationis conformatio perspici posset. Ego enim non abhorreo ab ea suspicione quam primus Spaldingius movit, cum diceret hoc loco post ,Attici' incuria librariorum sunt omissum esse. Videtur copula prorsus necessaria esse propter maiorem membrorum singulorum aequabilitatem, ut scilicet adverbii vis ironica et ad ,sunt' spectet et ad ,superant' et ad ,aemulantur' et ad ,iurant', id quod Spaldingius magis sensisse quam indicasse videtur.

Superest pronomen

Quisquam.

a. Adiectivi munere fungitur in his: 2, 6 ,cum illi qui nullum cuiusquam rei habuerunt magistrum, plurima in posteros tradiderint' et 7, 3 ,quae vero patitur hoc ratio, ut quisquam possit orator aliquando omittere casus', quem pronominis usum Cicero duobus tantummodo locis admisit, si quidem ad Att. XII, 23 ,quibusquam amoenis locis' cotidianae loquendi consuetudini recte attribuimus. Vide Hasium ad Reisig. (p. 347 adn. 361) Ciceronis locos adferentem in Verr. II 6, 17 et V 54, 141 et eum, quode modo diximus.

b. Quae producit testimonia Draegerus p. 81 ut illustret pronominis ,quisquam' rarum usum praecedente particula finali negativa, augere poterat addito 1, 45 ,facile est autem studiosis, qui sint his simillimi, iudicare ne quisquam queratur omissos forte aliquos'.

c. Atque egregiam paucitatem eorum locorum, ubi ,quisquam' in enuntiatione vera affirmativa invenitur, fulcire poterat allato 1, 60 ,plurimum sanguinis atque nervorum (in Archilocho) adeo ut videatur quibusdam, quod quoquam minor est, materiae esse, non ingenii vitium'. Quamquam fieri potest, ut Draegerus de lectionis veritate dubitaverit, quod idem iam alii ante eum fecerunt. Nempe enim offenderunt in affirmativa enuntiati conformatione, cum exploratum haberent ,quisquam' nonnisi negativis sententiis inseri debere. Haec erat causa, cur illi quidem cum Bonnellio quopiam aut cum Genslero quandoque aut cum Frotschero quondam reponi iuberent. Et re vera si tam exiguis terminis huius pronominis usus circumscriptus esset, quam illi sibi persuaserunt, etiam nos quoquam respuere nulli dubitaremus. Nihil enim falsius cogitari potest quam huic loco negativum sensum asserere, quem vulgo talem locutionem habere haud infitiamur. Sed hic ,quod quoquam minor est' non idem valet atque ,minor est quam omnes' sive ,vel minimus est', sed fere idem significat atque ,minor est quam

alius quis' h. e. *er steht hinter einigen oder manchen zurück*. Igitur ut brevi complectar meam sententiam, non dicere vult rhetor: ,Archilochus omnibus postponendus est', sed ,sunt quibus postponendus sit', quos, nisi materiae ratio offecisset, certe aequabat. Iam expeditam loci sententiam habemus neque adversantem latini sermonis legibus [1]) et expressam ad codicem optimae notae G. Quodsi hoc ita est, nihil causae subesse videtur, cur coniecturas ad hunc locum prolatas singillatim refellamus: opinationum tantummodo nomine dignae sunt, quibus certa fides adstrui non possit. Nam nisi haec apud nos valet artis criticae lex, ut tueamur traditum, quod verae rationi non repugnet, verendum est, ne non tam librariorum vitia quam ipsum scriptorem correxisse iudicemur. [2])

Ad finem huius partis non praeteribo, quamquam nonnullis levia visum iri puto, haec:

2, 3 ,quod tanto faciliorem nobis rationem rerum omnium facit quam fuit iis'. 2, 28 ,cum tanto plura exempla supersunt quam illis cfr. *τόσσον — ὡς* Hom. Od. IV 104 et 6, 7 ,si utcumque quaerendum est' h. e. quovis modo de Gesneri coniectura etiam ab Halmio comprobata. Ieepius ,si tutius utrumque' scribi iussit pro eo quod codices exhibent ,strutius utrumque', commotus ut opinor loco quem legimus IV 1, 21 ,id quidem in consilio ampliore utrumque tutius'. cfr. Meisterum (Philol. 34 p. 742—743.)

Haec habebam de pronominibus quae vobiscum, commilitones, communicare operae pretium videretur esse. Nunc, ut erat propositum, singulos locos tractabo, de quorum interpretatione non poteram non dissentire cum editoribus aut certe hactenus dissentire, quod illi altius in eorum intellectum descendere supersederunt.

1, 46 ,Igitur ut Aratus ab Jove incipiendum putat, ita nos rite coepturi ab Homero videmur'. Novi aliquid atque inusitati hanc locutionem habere non omittunt quaerere editores Bonnellius, Kruegerus aliique [3]), qua ratione autem orta sit vel oriri potuerit, nemodum, quantum scio, docuit neque docere studuit. Mihi ex ellipsi quadam hic participii futuri usus manasse videtur, ita ut ,rite coepturi ab Homero videmur' fere eodem rediret quo ,nos ab Homero coepturi rite coepisse videmur'. cfr. V prim. 5 ,sic optime divisuri videbimur'. Minus inusitatum est, quod ,videri' verbo ,nobis' subaudire iubemur et hic et 1, 56 ,audire videor undique congerentis nomina plurimorum poetarum': iam ab aliis eiusmodi exempla Ciceroniana collecta sunt veluti a Beiero de off. I 1, 1 p. 4. Neque multo magis notabilis locus est 1, 91 ,parumque dis visum est esse eum maximum poetarum'. Permiram autem insolentioremque constructionem ,videri' verbi deprehendimus 2, 18 in his ,noveram quosdam, qui se pulchre expressisse genus illud caelestis huius in dicendo viri sibi viderentur, si in clausula posuissent esse videatur'. Hic locus ad unum omnes interpretes offendit neque tamen quisquam accuratius in causas inquisivit, quibus scriptor commotus sit, ut hanc accusativi cum infinitivo insolentiam admitteret vel potius adscisceret. An tu censes sine ulla causa Fabium novis quasi rebus studuisse? Quod a nobis plane secus existimatur. Ponemus igitur, quod unum ratio nobis postulare videtur. ,Videri' cum accusativo cum infinitivo copulatum maiorem habere vim ac

---

[1]) vide Draegeri Hist. Synt. p. 80. cfr. etiam Raph. Kuehner (Ausführliche Grammatik der lat. Sprache) 1878 II, 1 p. 466. Adferri solet a Grammaticis Senecae locus (Tranq. 11, 6) ,Cuivis potest accidere, quod cuiquam potest' a Kuehnero sic conversus: *Was sich irgend Jemandem, wer es auch sei, ereignen kann, das kann sich Jedem, welchen du willst, ereignen.*

[2]) Paullo copiosius de toto loco Osannus progr. IV p. 10—12 disseruit cumque in vulgata scriptura et ipse haereret, aliorum inventis repudiatis proposuit scribendum: quod quidem immitior coniectura eleganti quidem, sed paullo saltem violentiore neque omnino, ut arbitror, necessaria.

[3]) cfr. Bonnelli Prolegomena p. LXVIII.

pondus quam nudum infinitivum nemo ignorat*). Inest in hoc affirmandi et asseverandi significatio, qua opponitur quodammodo alteri illi, ac dici maxime solet de iis qui aliquid quasi suo iure cum fide quadam et gravitate elocuntur, denique qui videri volunt se id quod dicant libenter aut demonstraturos esse aut praestaturos. Sic Cicero Tusc. V 5 loquitur ‚non mihi videtur ad beate vivendum satis posse virtutem‘, sic etiam Fabius hoc de quo agitur loco ‚sibi videri‘ utitur. cfr. Draegeri Hist. Synt. IV 1 p. 368. Nimirum irrideri rhetor vult imitatores pingui ingenio illos atque tardo, qui quamvis a summo petant eloquentiae fructus, tamen caelestes ac prope divinos in dicendo viros se aequiperasse persuasum habeant. Nos igitur a vero non aberrabimus, si ‚sibi videri‘ coniunctum cum accusativo cum infinitivo in hanc sententiam interpretabimur, tamquam imitatorum illorum opinio omnem vel negandi vel dubitandi copiam excludat. Atque hanc interpretationem unice veram esse maxime adducor ut credam acerba ironia antecedentibus verbis ita admixta, ut neminem qui vel mediocriter attendat fallere possit. ‚Qui carent cultu atque sententiis Attici sunt scilicet, qui praecisis conclusionibus obscuri, Sallustium atque Thucydidem superant, tristes ac ieiuni Pollionem aemulantur, otiosi et supini si quid modo longius circumduxerunt, iurant ita Ciceronem locuturum fuisse‘. cfr. etiam IV 2, 67 ‚respondit quae ei visum est‘.

Ad ea quae habemus 1, 62 ‚Si tenuisset modum (sc. Stesichorus) videtur aemulari proximus Homerum potuisse‘ Bonnellius adnotat: ‚***Der in*** videtur ***enthaltene Begriff ersetzt den Conjunctiv des Folgesatzes***‘, quibus assentiri me vetant exempla quale est e. g. Cic. Tusc. V 32, 90 ‚Nisi quos a recta ratione natura vitiosa detorsisset, eodem hoc animo esse potuerunt‘, ex quo perspicuum est ‚potuisse‘ factum esse ex eo quod in oratione recta posuisset auctor ‚potuit‘. Rectius igitur Kruegerus: ‚videtur potuisse d. i. potuit (= potuisset), ut videtur‘. — Huic loco finitimus est 1, 98 ‚Ovidi Medea videtur mihi ostendere, quantum ille vir praestare potuerit, si ingenio suo imperare quam indulgere maluisset‘.

1, 77 vulgatur: ‚plenior Aeschines et magis fusus et grandiori similis, quo minus strictus est, carnis tamen plus habet minus lacertorum‘. Hunc locum cum supra de adiectivis neutrius generis vices substantivi sustinentibus verba facerem silentio praetermisi, non quo me fefellerit, sed quia valde dubito utrum sic quemadmodum legimus ab ipso scriptore profectus sit necne. Non quidem haereo in positivo ‚similis‘, cui comparativi vim asserendam esse ab antecedentibus ‚magis fusus‘ unusquisque facile concedet. cfr. 1, 93 ‚tersus atque elegans maxime videtur auctor Tibullus‘ et XII 6, 6 ‚a quam maxime facili ac favorabili causa‘. In me residet aliquid scrupuli de veritate lectionis ‚grandiori‘: neque enim ab animo impetrare possum, hoc pro neutro habendum esse idemque valere atque ‚grandiori generi dicendi‘. Profecto hac interpretatione admissa Laconicam quandam breviloquentiam Quintiliano obtruderemus ab ipsius usu prorsus alienam. Primum enim neutrum, ut iam supra monuimus, paullo insolentius dictum esset, deinde valeret comparatio compendiaria quam vocant, quod utrumque ita ut hic coniunctum alio loco inveneris nullo. Nam quod adfert Bonnellius tamquam simile II 11, 2, plurimos habent similes neglegentiae suae, paucissimos naturae‘, hoc licet confidenter propagetur ab aliis, prorsus diversi generis esse in aperto est. Cum enim addit scriptor ‚neglegentiae suae‘, personam rei adiungit ita ut nihil impediat, quominus illi plurimos neglegentia sui similes, natura paucissimos habuisse dicantur. Aliud autem est grandiori similis, aliud grandiori generi dicendi nescio cuius similis. — Duae se offerunt viae hanc difficultatem solvendi. Aut grandiori pro masculino habendum est et supplendum oratori, id quod mihi

---

*) De discrimine, quod intercedit inter utramque constructionem, vide praeclaram Haasi adnotationem ad Reisigium 605 p. 793.

propter quandam orationis ambiguitatem minus probatur, aut ab emendatione auxilium petendum est quod non prorsus infeliciter fecisse nobis videmur scribendo: grandi oratori. cfr. 2, 16 ‚fiunt pro grandibus tumidi'. Nimirum oratori compendio scriptum erat non secus ac ratio r͞o fieri constat*), librarii autem huius usus ignari compendii notam omiserunt, unde enata est scriptura depravata, quam omnes codices offerunt. Restat ut pauca addenda videantur de eis quae statim subsecuntur: ‚dulcis in primis et acutus Hyperides, sed minoribus causis, ut non dixerim utilior, magis par'. cfr. 2, 15 ‚ut ita dixerim'. Non debebant hoc prorsus intactum relinquere interpretes, quippe quod a probatorum scriptorum usu scribendi prorsus recedat. cfr. Draegeri Syntax u. Stil des Tacitus p. 12: ‚*Eine Neuerung ist die auch bei Spätern selten gebliebene Uebertragung des aoristischen Potentialis perfecti auf Nebensätze*'.

1, 83 ‚Nam in Theophrasto tam est loquendi nitor ille divinus, ut ex eo nomen quoque traxisse dicatur'. Concedo Spaldingio aliquanto facilius futurum esse, si pro tam est scriberetur tantus est. Nihilo autem minus in tradita lectione asquiesci posse arbitror, dummodo recte singula enuntiati membra inter se copulentur. Mea sententia tam ad adiectivum divinus trahendum est, ut verba tam divinus est pro praedicato stent, loquendi nitor ille autem instar subiecti artissime inter se cohaereant, unde evadit collocatio verborum inusitata quidem neque tamen nunquam a Quintiliano admissa. cfr. e. g. 1, 122: ‚habebunt magnam eos qui nunc vigent materiam vere laudandi'. Omnino autem tenendum est — id quod iam Bonnellius recte animadvertit Prolegomena p. LXXVIII, perplexam et arcessitam verborum turbam magis quam ordinem aetatis argenteae scriptoribus in deliciis fuisse, quae intellectum legentium non tam adiuvet quam impediat.

1, 89 Cum vulgo scriberetur: ‚Cornelius autem Severus etiamsi versificator quam poeta melior, si tamen ad exemplar primi libri bellum Siculum perscripsisset, vindicaret sibi iure secundum locum', Spaldingius primus pro eo quod est in codicibus — sit G vel si M — reposuit etiamsi sit probaruntque hoc posthac omnes editores. Nam quod Bonnellius et Kruegerus quamquam etiamsi sit in ordinem verborum receperunt, in adnotatione tamen de adverbio etiamsi cogitarunt — sunt autem eorum verba haec: Bonnelli ‚etiamsi *häufig bei Quintilian in adverbialer Bedeutung ohne Verbum finitum*' et Kruegeri: ‚etiamsi *in adverbialer Bedeutung ohne Verbum finitum bei Quintilian nicht ungewöhnlich*': hoc nullo iudicio, sed mero errore ac permiro quidem factum esse arbitror, si quidem neminem de coniunctionis veritate dubitare posse confido. — Porro ‚versificator' verbo perraro Romani usi esse videntur, nam bis tantum quod sciam legitur: hoc loco et Iust. VI 9. Hoc autem loco quasi quadam necessitate genitum esse, ut clarius inteliegeretur, quantum discriminis inter versificatorem et verum poetam interesset, haud difficile est ad intellegendum.

1, 91 fertur Fabius amore Germanici Augusti. ‚Quis, inquit, caneret bella melius quam qui sic gerit? quem praesidentes studiis deae propius audirent'? Propius codices offerunt, promptius Halmius proposuit scribendum, pronius Woelfflinus periclitatus est. Reisigius p. 172 vix se dubitare profitetur, quin Quintilianus scripserit propitius, cui formae comparativi sensum adiungere studet allatis VII 1, 12 ‚ante actae vitae crimina plerumque prima purganda sunt, ut id de quo laturus est sententiam index, audire propitius incipiat' et IV 2, 27 ‚quae sc. flagitia ante actae vitae prius amovenda sunt, ut propitius index defensionem ipsius negotii audiat'. Quodsi qui erunt, qui etiam his locis ‚propitius' positivi significationem facile pati dicant, eos qui refutem nescio,

*) cfr. W. Wattenbachi Anleitung zur Palaeographie p. 31.

sed hoc scio propitius et a sensu et a litterarum permutatione hoc de quo agitur loco maxime commendari,[1]) quamquam idem ego scio, quid iure contra dici possit.

1, 94 ‚sunt clari hodieque et qui olim nominabuntur'. Cum hoc uno tantum loco hodieque apud Quintilianum inveniatur, Bonnellius que cum et copulatum vult. Kruegerus non obloquitur quidem, sed non abhorrere se dicit ab ea interpretatione, qua hodieque eodem sensu accipitur atque nostrum *‚noch heutzutage'*. Mihi hoc utique verum videtur esse, si quidem Krebsius (Antibarbarus 1876 p. 523. 524) recte nos docet hoc vocabulum primum a Velleio novatum posterioribus valde placuisse.

Quod exhibent codices 1, 107 ‚in epistulis quidem, quamquam sunt utriusque, dialogisve, quibus nihil ille, nulla contentio est', Spaldingius praestare dubitat propterea, quod exemplis similibus praesidium huic ellipsi parari non possit. Haec erat causa, cur ipse quamvis dubitanter suaderet scribendum: ‚in quibus nihil ille', vel ‚quibus nihil simile ille'. Verba eius haec sunt: ‚Saltem in inseram ante quibus', ut subaudiatur effecit, protulit. Nisi forte simile reponas ante ille'. Halmius haud cunctanter reposuit in quibus, quod audacius quam verius factum esse puto. Non nego hoc in excidere potuisse proclivi librariorum errore, sed debuisse excidere hoc plane nego. Quid nos impedit quominus verbum generalioris notionis omissum sumamus, ad quod ablativus quibus trahi facile possit? Quid quod aliis quoque locis Fabius talium verborum ellipsin minime horruit? cfr. 2, 24 ‚longe perfectissimus Graecorum Demosthenes, aliquid tamen aliquo in loco alii, plurima ille'. Supple ‚praestitit' vel ‚consecutus est': iam omnia plana sunt[2]).

2, 28 ‚qui propria his bona adiecerit, is erit quem quaerimus perfectus orator, quem nunc consummari potissimum oportebat'. In miram interpretandi rationem delapsus est Kruegerus, cum diceret ‚quem consummari] perfectum oratorem consummare d. i. oratorem consummare ita, ut perfectus fiat. *‚Das Prädicat steht proleptisch, insofern es erst in Folge der durch das Verbum ausgedrückten Handlung als Prädicat eintritt'*. Hoc pluribus refutari vix opus erit. Errat Kruegerus, quod quem relativum ad perfectum oratorem trahit, cum ad oratorem tantum spectet. Potuit non minus recte dici a Quintiliano ‚quem nunc perfectum fieri potissimum oportebat'. Constat quidem hanc verborum compositionem ut perfectum diceret oratorem Fabio admodum placuisse (cfr. 2, 9 ‚quomodo sperare possumus illum perfectum oratorem'), tamen non ita in unam notionem coaluerunt, ut separari prorsus nequeant.

3, 22 ‚relinquendae in utrolibet genere contra erunt vacuae tabellae, in quibus libera adiciendo sit excursio'. Nihil dico de Bursiani coniectura adiciendo pro eo quod in codicibus est, adicienda', nam peritis se ipsa probabit. Illud quaero, quid Kruegerum commoverit, ut ‚adiciendo' *für das Hinzuzufügende'* converteret. Immo si quid video, necesse est nos interpretemur: *‚für das Hinzufügen'*. cfr. X 12, 35 ‚illud ediscendo scribendoque commune est'. In eis quae paullo post secuntur,

[1]) Ac ne quis in ipsa comparativi forma offendat: notum est argenteae aetatis scriptores in eiusmodi rebus sibi plus quam par erat indulsisse. Reisigius l. c. adfert inusitatos comparativos egregius, industrius, necessarius. Et Fabius non fugit superlativum piissimus, qui Ciceroni reprehensione dignus esse videbatur. Utut autem hoc se habet, mirum est quod omnes quos quidem ego inspexerim editores Reisigi coniecturam prorsus silentio praetervecti sunt. Si nihil aliud, certe ipsum viri doctissimi nomen nos cogere videtur inventi eius non plane immemores esse.

[2]) Non me fugit, quod e. g. Madvicus de Fin. I 10, 32 (p. 71) animadvertit neminem unquam scriptorem Romanum ante relativum praepositionem quae ante demonstrativum adfuisset omisisse, nisi idem verbum audiretur. Supersedi supra adferre, quia haec in locum de quo agimus non quadrant. Primum enim deest demonstrativum, deinde verbum generalioris notionis, ut iam dixi, subaudiendum est, nisi forte quis ex verbis ‚nulla contentio est' contendit commode suppleri posse censet.

expertus iuvenem studiosum praelongos habuisse sermones' experiendi verbum cum accusativo cum infinitivo copulatum videmus, quod admodum raro fieri a Draegero docemur (Hist. Synt. IV 1 p. 364).

Ad ea quae leguntur 5, 15 ,historiae nonnumquam ubertas in aliqua exercendi stili parte ponenda' proxime accedit Cicero Tusc. IV 42 ,aegritudines susceptae continuo in magna pestis parte versantur', quod rectissime Madvicus (de Fin. p. 224) ita explicat, ut idem sit atque ,magnam partem continent'. Quintiliani locum igitur non prorsus inepte sic reddideris: *,Es mache einen Theil der Stilübung aus, die Fülle der geschichtlichen Darstellung in Anwendung zu bringen'.* Denique ad ea quae habemus 7, 23 ,deinde paulatim simul euntes aptabimus vela' non inutile erit apponere graecum exemplum iam in scholasticis libris traditum *οἱ Ἕλληνες ἐμάχοντο ἅμα πορευόμενοι.* (cfr. Curtius Gr. Gramm. § 587, 1).

Possum multa alia commemorare veluti usum comparativi 1, 94 tersior, superlativi 1, 85 auspicatissimum (cfr. Draegeri Hist. Synt. p. 32), possum fusius disputare de discrimine quod intercedit inter sunt non multum differentes (2, 16) et differunt (cfr. Haase ad Reisigium adn. 579 et 580) vel de deerrandi verbo 3, 29 cum ablativo coniuncto itemque de constandi verbi insolita oonstructione (e. g. 5, 23), possum etiam verba facere de adiectivo diversus (3, 17) idem plane significante atque adversus (cfr. Reifferscheidi analecta crit. et gramm. lect. cat. 77/78 p. 8), sed non dilatabo orationem meam, etenim potest esse infinita, si mihi libeat omnia huius generis congerere, quae aut praetermissa sunt ab editoribus aut consulto neglecta.

Qui paullo accuratiorem Quintiliani notitiam sibi comparaverit, non ignorabit, quam multis adhuc quamque gravibus mendis hoc antiquitatis monumentum deformetur, quibus eluendis parum subsidii saepius codices, quotquot hactenus collati sunt, suppeditent. Planus patet campus divinandi et coniectandi, in quem me quoque ut progrederer animus incitabat, cumque fieri non posset, quin aliquot locis vulgatam a superioribus scripturam certis rationibus permotus desererem, nonnullis etiam codicum lectionem a corruptelae suspicione vindicarem, de huiusmodi locis paullo fusius nunc disputare placuit, ut quod initio proposui, denique praestarem. Et quoniam in paucis propter spatii brevitatem consistendum est, duodecim ex primo, altero, decimo libro depromptos locos pertractabimus.

I 7, 21 ,iam „optimus maximus", ut mediam **i** litteram, quae veteribus **u** fuerat, acciperent, Gai primum Caesaris inscriptione traditur factum'. Duabus potissimum de causis viri docti in hoc loco haeserunt, primum, quod prorsus nescitur, quaenam inscriptio significata sit, tum etiam, quod ablativus ,inscriptione' sic nude positus ferri neutiquam potest. Atque alteram difficultatem Halmius tollere sibi visus est, cum ante ,Gai' in adiciendum suaderet, alteram eamque non minorem ille quidem patienter toleravit, alii coniecturis removere studuerunt. Quarum nulla nobis probatur. Nam quod A(mbrosianus) codex praebet instructione — scilicet veteris alicuius interpretis inventum, ineptum est, si quidem instructione eodem sensu atque nostrum *,Befehl'* a Quintiliano dictum esse vix quisquam sibi persuadebit ac ne vix quidem. (cfr. Krebsium sub h. v. p. 604). Quod autem Henrico Keilio in mentem venit, inscriptionibus scribendum esse, opinabile quidem est, non autem probabile propter quandam inscriptionum ambiguitatem. Neque enim una inscriptione, ut iam recte Claussenus animadvertit, neque titulorum copia, immo auctoritate Caesaris illa mutatio facta est. Claussenus*) ipsa institutione periclitatus est, sed quam recto sensu, neque ipse docuit neque quisquam docebit. Videtur ei tale quid obversatum esse quale nostrum *,Neuerung, erstmaliger Gebrauch'*, nam exempla quae adfert ut suam ipse fulciat coniecturam, verbi

*) Quaestiones Quintilianeae p. 331.

instituendi optime sic reddi possunt, veluti II 4. 41 ,fictas materias apud Graecos dicere circa Demetrium Phalerea institutum fere constat'. Sed quod cadit in verbum instituendi non idem cadere in institutionis substantivum nemo infitiabitur, substantivum autem hanc vim habere Claussenus exemplis similibus non ita facile praestiterit[1]). Immo rectissime Krebsius l. l. p. 603—604: Institutio *bedeutet bei allen Bessern nur activ die Einrichtung, Anordnung, nicht passiv eine einzelne (gemachte) Einrichtung und Anordnung.* Igitur Clausseni institutione nihili est. Alii alia excogitarunt: equidem scriptione scribendum esse propono, qua voce recepta iam aptam nanciscimur sententiam et consilio scriptoris sane congruam. Et si verum est quod dicunt sc. vel sp. litteris a librariis i vel in saepius praepositum esse — id quod veritatis indicium prae se fert, cum etiam Franco- Gallorum verba non pauca hoc additamentum prodant (cfr. sperare — espérer — species — espèce) — vel hinc mendi quod in codicibus est origo manifesta fit.

Unum restat, quod non sine aliqua causa contra dici possit: scriptionis vox apud Quintilianum alio loco invenitur nullo. Sed si quis hinc concluserit a Fabio utique hanc vocem usurpari non potuisse, vereor ne is cupidius quam verius iudicasse videatur. Etiam ,instar portus' quod Car. Meiserus ex codicum depravata lectione eruit (X 7, 1), alio loco non habes. Nihilo autem setius huic coniecturae nomen palmariae indere non dubitabis. Adde quod neque alii probati sermonis scriptores scriptionis vocem fugerunt[2]) neque ipse Quintilianus formationem substantivorum in io exeuntium horruit. (cfr. II 2. 11 auditio II 2. 6, dictio II 3. 1, persuasio aliaque).

I 10. 8 „fuit aliquis sine iis (sc. artibus quibus oratio egeat) disertus": ,sed ego oratorem volo'. „Non multum adiciunt": ,sed aeque non erit totum, cui vel parva deerunt'.

De hoc loco primus Halmius vere iudicavit, cum in adnotatione poneret: sententia est ,ut concedam eas non multum adicere, pari ratione non erit totum', tamen Halmius rectam viam magis ingressus quam persecutus esse mihi videtur. Certe nobis paullo accuratius quam in notulis textui subiectis ab illo fieri potuit, disputandum erit. Neque enim dubito, quin etiamnum inveniantur, qui non Halmi interpretationem admittendam, sed cum Spaldingio aliisque faciendum esse putent utique pro aeque ordini verborum inserentibus. Nimirum offenderunt illi in aeque adverbii significatione, tamquam ab huius loci sententia plane absona esset. Et concedendum est paullo difficilius explicari, sed omnino non posse hoc negandum est. Mihi totius loci interpretatio ab ellipsi quadam repetenda esse videtur, atque ut in hanc inclinem sententiam, cogor quodammodo Agricolae loco a Draegero in libro de Tacito citato: XV. 5 ,aeque discordiam praepositorum, aeque concordiam subiectis exitiosam (sc. esse)', quod nihil aliud esse nisi ,sive discordes sunt praepositi sive concordes aeque exitiosum est subiectis' cum Draegero recte dicemus. Iam vero recognosce mecum locum de quo agimus: facile ipse subaudire poteris, quae auctor, licet non disertis verbis elocutus sit, cogitavit tamen haud dubie: ,Non multum adiciunt artes, sed sive multum adiciunt sive non multum, aeque non erit totum cui vel parva deerunt', quibus eundem fere sensum subesse atque Halmi verbis quis est, quem hoc fugerit?

Cum vulgo scriberetur I 11, 10 ,vidi multos, quorum supercilia ad singulos vocis conatus adlevarentur, aliorum constricta, aliorum etiam dissidentia, cum altero in verticem tenderent, altero paene oculus ipse premeretur' Halmius Ambrosiani codicis hactenus saltem patrocinium suscepit, ut alterum pro altero restitueret. Sed ne hoc quidem sufficit, si quidem recte statuit Halmius

---

[1]) cfr. Meisterum Phil. 35 p. 556.

[2]) cfr. Cic. Inv. I 38. 68 ,Omnes leges, iudices, ad commodum reipublicae referre oportet et eas ex utilitate communi, non ex scriptione quae in litteris est interpretari'. cfr. etiam Krebsium sub hac voce p. 1053.

Ambrosiano singularem fidem esse adiungendam. Habet enim A tenderet, quod unice verum esse plane pro certo affirmari potest. Nam primum haud difficile est ad intellegendum nunc demum singulari reposito aequabiliter fluere orationem, cum tenderet optime respondeat illi premeretur, deinde verbi tendendi hunc usum aliis multis exemplis confirmatum invenimus. cfr. e. g. I 12. 1 ‚tot disciplinis in diversum tendentibus' vel VIII 4. 9 ‚haec amplificatio in superiora tendit'. Scribo igitur: ‚cum alterum in verticem tenderet'.

II 13. 9 ‚Nam recti quidem corporis vel minima gratia est: nempe enim adversa sit facies et demissa brachia et iuncti pedes et a summis ad ima rigens opus'. Coniunctivum sit, ut in codicibus legitur, superiori indicativo addi non potuisse Gibsonus primus intellegens pro sit fit scribendum esse coniecit, quam coniecturam commemorandum putavi, non quo mihi probaretur, sed ex vera loci interpretatione fluxisse videbatur. Plane immerito enim, ut dicam, quod sentio, coniuntivus sit ab omnibus editoribus propagatur. Constat quidem coniunctivum vel in enuntiatis absolutis quae vocantur Fabio valde in deliciis fuisse, ut modestiam quandam atque urbanitatem orationi admisceret*), sed non minus constat hunc coniunctivi usum certis regionibus a scriptore circumsaeptum teneri. Ut exemplo utar: in tali enuntiato quale est VI 2. 5 ‚probationes efficiant sane, ut causam nostram meliorem esse iudices putent' suo iure Quintilianum coniunctivum efficiant posuisse idem fere valentem atque Graecum ποιήσειαν ἄν nemo peritus diffitebitur. Sed quid in hoc de quo quaerimus enuntiato sibi vult? Iubet Fabius oratorem interim ex illo constituto traditoque ordine aliqua mutare et a consuetudine vulgari recedere, ut novitatis vel varietatis blandimentis audientium animos irretiat, cumque in comparationem attulerit eos qui artem fingendi et pingendi professi sunt, qui quidem saepe habitus, vultus, status, variarent, pergit si codicibus fidem habeamus: ‚nam recti quidem corporis vel minima gratia est. Nempe enim adversa sit facies'. Quid adversa sit? Coniunctivus hoc loco sine ulla dubitatione respuendus est, quippe qui aliquid incerti atque ambigui orationi inferat a consilio scriptoris plane alienum. Minime adversa sit facies, minime ἄν εἴη, sed adversa est ἐστίν, cum praesertim indicativus in antecedentibus verbis locum habeat. Lenissima igitur mutatione — nam de coniectura vix cogitandum erit — scribemus: nempe enim adversa est facies. Et ortum est codicum mendum ex scribendi compendio adversa'st, quod quam saepe librariis ansam dubitationis dederit, ut tum sit tum et tum ut periclitarentur, apud peritos exponi nihil opus est. Imperiti velim adeant Madvicum praeclare de hac verborum nota disserentem op. acad. I p. 184, II 222 et de Fin. 444.

II 17. 25 ‚et medicus sanitatem aegri petit: si tamen aut valetudinis vi aut intemperantia aegri aliove quo casu summa non contingit, dum ipse omnia secundum rationem fecerit, medicinae fine non excidet'. Hanc vulgarem lectionem licet Spaldingius in dubium revocaverit, Halmius sua auctoritate tuitus est: quod num ille recte fecerit, ἐπέχω. Neque enim adhuc Spaldingi de summa voce dubitationem remotam video. Rectissime ille, si quid video. ‚Non usque quaque expeditus est, vocis summa usus. Alias enim solet summa artis dici, quod utique praestat artifex, ut eventus excludatur, qui in artifice non est positus'. Sic modo c. 16, 11 ‚summa rhetorices', prooem. 6 ‚summa eius operis'. Ex ipsa igitur Quintiliani doctrina summa medicinae non est sanitas, quem tamen sensum hic locus postulat. Malim abesse summa (ex casu extremo natum fortasse) ut intellegatur sanitas (ex prioribus) ad contingit'. . Rectissime, inquam, ille, si quis

*) cfr. Zumptium ad Spald. V 411 ‚In enuntiatis absolutis coniunctivum et alii scriptores huius aetatis et inprimis Quintilianus facilem quandam et lenem modestiam simulantes nimium frequenter ponunt, ubi Cicero fortiter indicativo sine dubitationis falsa specie utitur'.

solum sensum intueatur, sin de litterarum permutatione quaeritur, quid si quis mecum statuat a rhetore scriptum esse: ‚si tamen aut valetudinis vi aut intemperantia aegri aliove quo casu humano non contingit'? cf. Ov. Pont. III 2, 91 ‚humanos casus aspice'. Admissa hac levissima coniectura iam omnis evanescit difficultas et contingendi verbum eam accipit significationem, quam saepissime apud Quintilianum habet. cf. I 1. 11 ‚si tamen non continget quales maxime velim nutrices habere' e. sq. V 2. 3 ‚si id non continget', XII 9. 8 ‚si contigit', V 7. 19 ‚si non contigit' aliaque.

X 1. 16 ‚excitat qui dicit spiritu ipso, nec imagine ambitu (sic G codex) rerum, sed rebus incendit'. In hoc loco eis adsentiendum esse non puto, qui auctore Halmio imagine ordini verborum inseruerunt, ambitu autem uncinis incluserunt. Mihi imaginis vox ab interpolatore nescio quo intercalata videtur esse, qui disertius, quid esset ambitu, eloquendum fuisse opinaretur. An tu probabilius esse censes usitatam imaginis vocem inusitato ambitu explicatum esse? Equidem illud ambitu repono cum censore Spaldingianae editionis Ienensi itaque scribo: nec ambitu rerum, sed rebus incendit. Ambitus autem nihil aliud est nisi ambitiosa rerum expositio, id quod iam dudum Frotscherus idoneis exemplis demonstravit. cfr. etiam Osannum II p. 10—11.

X 1. 48 codices omnes habent: ‚Age vero, non utriusque operis sui ingressus in paucissimis versibus legem prooemiorum non dico servavit, sed constituit sc. Homerus'? In his verbis recte explicandis viri docti multum operae collocarunt neque tamen cuiquam contigit offensionem removere, quam inesse in nominativo ingressus omnes consentiebant. Quae cum ita essent, Badius nodum sic expediri posse putavit, ut pro ingressus nominativo ablativum ingressu scribi iuberet, cui dicto viri docti cupidius quam par erat audientes fuerunt. Veluti Claussenus l. l. p. 336: Vera, inquit, est scriptura ‚non utriusque operis sui ingressu'. Et Halmius idem ingressu reponens in ante utriusque operis adicere necesse habuit. Mihi tradita lectio nihil offensionis praebere videtur, dummodo recte percipiatur. Fatendum quidem est rhetorem sane balbutire, si exploratum esset ingressus pro nominativo stare. Sed quid nos cogit ut in hoc casu consistamus? cur non ad genetivum progrediamur pendentem ex sequenti voce versibus? Equidem causam video nullam. Qui autem in collocatione genetivi paullo insolentiore offenderit, is primum meminerit, quod iam supra dixi, Fabium non tam ordine verborum quam turba delectari. Deinde conferat eiusmodi exempla Corneli Nepotis a Lupo p. 19 collecta velut Pelop. 3. 1 ‚magistratuum Thebanorum statim ad aures pervenit': iam de lectionis traditae veritate dubitare desinet. Certe nos, licet similia exempla ex Quintiliano non in promptu sint, ratione freti in codicum scriptura acquiescemus.

Cum vulgo scriberetur X 1. 68 ‚Namque is (sc. Euripides) et sermone (quod ipsum quoque reprehendunt, quibus gravitas et cothurnus et sonus Sophocli videtur esse sublimior) magis accedit oratorio generi', Halmius pro ‚quod ipsum' ‚quem ipsum' reponendum idque cum ‚sermone' artius coniungendum esse statuit. Equidem nondum auctoritate viri doctissimi commotus sum, ut vulgatam codicum editionumque scripturam desererem. Potuisse enim fieri, ut auctor sic scriberet, nolo infitias ire, sed necessitatem huius emendationis nondum assequor. Quo vetamur parenthesin ad totam enuntiationem trahere, ad id scilicet, quod Euripides accedit sermone oratorio generi? Collocatio verborum quominus hoc faciamus sane nihil nos impedit. cfr. X 2. 10 ‚tantam enim difficultatem habet similitudo, ut ne ipsa quidem natura in hoc ita evaluerit'. Ex eodem genere est quod Cicero habet in or. contra Pison. c. 29: ‚etiam litteris, quod fere ceteros Epicureos negligere dicunt, perpolitus'. Cogitat orator perpoliri litteris. De legg. I 16, 45 ‚Est enim virtus perfecta ratio, quod certe in natura est', hoc scilicet, ut perficiatur ratio. Ibidem II 27, 69 ‚dicam de magistratibus: id enim est profecto, quod rempublicam contineat maxime', nempe id, ut magistratus sint.

Tusculan. I 2, 4 ,ergo in Graecia musici floruerunt discebantque id omnes', id scilicet, quod musicorum est [1]).

Versabitur nunc disputatio nostra in loco X 2. 13, ut traditam tueamur lectionem, satis illam quidem, ut nobis videtur, manifestam, quae tamen miram Halmi mutationem peperit. Habet Quintilianus ,ideoque plerique, cum verba quaedam ex orationibus excerpserunt aut aliquos compositionis certos pedes, mire a se quae legerunt effingi arbitrabantur, (et) cum verba intercidant invalescantque temporibus, ut quorum certissima sit regula in consuetudine, eaque [2]) non sua natura sint bona aut mala (nam per se soni tantum sunt), sed prout opportune proprieque aut secus collocata sunt, et compositio cum rebus accommodata sit, tum ipsa varietate gratissima'. Halmius pro coniunctivo sit qui in omnibus codicibus legitur indicativum est dedit, nam apparet, inquit, hoc quoque colon a prout pendere. Mihi hoc certis de causis non satis apparere videtur. Quaeritur ante omnia, utrum illud orationis membrum ,et compositio cum rebus accommodata' cum prout consociandum sit, id quod Halmio persuasissimum est, an ad coniunctionem concessivam cum supra antecedentem referendum sit, id quod ego contra Halmium confidenter asseverare ausim. Sed quoniam tanto viro, cui neque ingenio neque auctoritate ullo modo sim comparandus, tam audacter obloqui conatus sum, paullo fusius, cur mihi hoc ita esse videatur, explicare libet. Opponuntur a rhetore diserti atque eloquentes viri h. e. ei in quibus inest vera naturae vis ac facilitas eloquendi declamatoribus h. e. eis qui non tam divino instinctu inflati nonnisi exempla probatorum oratorum in imitationem adsumunt. Arbitrantur, inquit, illi quidem mire a se quae legerunt effingi, si verba quaedam aut aliquos compositionis certos pedes excerpserint. Frustra: nam verba per se tantum spectata nihil nisi soni sunt; id agendum est, ut recte, opportune, proprie aut secus collocemus, quemadmodum a viris vere disertis factum videmus. Sed ne haec quidem sufficiunt: etiam compositionis leges declamatoribus observandae sunt. Nam consummati oratores compositionem rebus accommodarunt variaruntque, ut gratissimo sono ad aures accederet. Igitur ut breviter comprehendam ea quae a Fabio disertis verbis dicta sunt: excerpserunt quidem declamatores verba quaedam aut aliquos compositionis certos pedes, sed per ingenii mediocritatem non licebat nec verba recte collocare nec compositionem rebus accommodare aut variare. Quid plura? Manifestum est, opinor, ab et compositio alterum enuntiati membrum incohare pendens ex cum coniunctione. Quod si ita est, etiam coniunctivus sit Quintiliano reddendus erit. Quod autem Madvicus (advers. crit. II p. 540) accommodanda sit utique scribendum censet, non adsentimur. Nam praeterquam quod de oratoribus perfectis ac consummatis sermo fit, qui compositionem rebus accommodant accommodaruntque non intellegimus, qua ratione accommodanda sit conecti possit cum sequentibus tum ipsa varietate gratissima. Contra hoc libenter Madvico concedimus pro superiore et cum scribendum esse cum et.

X 3. 10 Cum vulgo scriberetur ,sed tum maxime, cum facultas illa contigerit, resistamus [3]) ut provideamus et efferentis se equos frenis quibusdam coerceamus', Halmius haec verba ,ut provideamus' cancellis saepsit inanem quandam loquacitatem, nisi egregie fallor, in eis inesse ratus.

---

[1]) Ciceronis exempla congesta sunt a Schoemanno op. ac. III 289.

[2]) Fuerunt qui hoc enuntiati membrum cum relativo ut quorum copulari vellent nota illa *ἀνακολουθίας*, quae non solum apud veteres scriptores, sed etiam apud nostrates nonnumquam invenitur. cfr. Nibelungenl. XV 2. Quamquam nihil est, quod hoc loco de *ἀνακολουθίας* cogitemus. Potest sane non minus apte demonstrativum trahi ad antecedentem coniunctionem cum.

[3]) Efferre se idem est atque Homeri *ἐκφέρειν*, Sophoclis *φέρειν βίας* (El. 715), nostrum, ,*durchgehen*'.

Et poterant profecto sine damno abesse neque ego dubitarem Halmi auctoritatem sequi, si ullum indicium subesset, quod glossam redoleret. Habet Halmius quidem cum Bursiano pro certo illud ut ex vel ortum esse, sed unde vel in textum irrepserit, adhuc ab illis celamur. An vel ipsum additamentum interpolatoris cuiusdam intellegendum est? Sed concedamus ut ex vel ortum esse — quamquam hoc ipsum vereor ut recte concedi possit — sed concedamus: qua ratione autem illud provideamus interpretamenti loco adscribi potuerit, nemo facile dixerit. Igitur plane non habemus, cur in hoc loco interpolatorem quendam versatum esse accipiamus. Alia via ineunda est, ut loci difficultatem solvamus. Et reputantes, qui sensus huic contextui aptus atque conveniens sit, facile medelam inveniemus haud improbabilem. Resistamus, inquit scriptor, resistamus et efferentis se equos coerceamus, vel ut germanice reddamus *‚mögen wir anhalten und gewissermassen die durchgehenden Rosse zügeln'*, vel paullo copiosius *‚mögen wir Fürsorge treffen (dafür sorgen), dass dies geschehe'*. Conversio ipsa — accommodata quidem, si verum fateri volumus, ad eam sententiam, in quam maxime inclinat animus — demonstrare videtur, quomodo locus sanandus sit. Necesse est nos scribamus ‚provideamus[1]) ut resistamus et coerceamus' transpositione usi semel saepius in recognitione librorum veterum iure adhibita.

X 3, 20 ‚At idem ille qui excipit, si tardior in scribendo aut incertior in legendo velut offensator fuit, inhibetur cursus atque omnis, quae erat, concepta mentis intentio mora et interdum iracundia excutitur'. De verbis at idem ille, qui excipit pluribus exponi non opus erit, quandoquidem hodie neminem dubitare confido, quin idem ille, cui dictatur, intelligendus sit. Maiorem offensionem in verbis in legendo inesse puto et eam, quae me iudice removeri non possit, nisi ad coniecturam confugerimus. Nam quod Bonnellius autumat *‚Der Dictirende verlangt, um den Gedankengang festzuhalten, vom nachschreibenden ταχύγραφος häufig, dass er das Nachgeschriebene ihm vorlese'*, ideo improbandum esse censeo, quia de scriba tam tardo tamque stulto, ut quae ipse scripserit, ipse incertius legat, cogitare vix debemus. Hanc difficultatem ut effugeret, Spaldingius — nam aliorum inventa nihil moror — reponendum proposuit et delendo. Sed alteram difficultatem abstulit, alteram intulit. Equidem suspicor scribendum esse: in intellegendo, quod totius enuntiati sententiae aptissimum est. Nam scriba aut tardius scribit aut incertius intellegit, ita ut dictanti repetendi mora facienda sit. Intellegere autem proprie de eis dici, qui quae dicta sunt, animo excipiant omnibus notum est[2]).

Finem faciat huius libelli X 3, 25 ‚ideoque lucubrantes silentium noctis et clausum cubiculum et lumen unum vel rectos maxime teneat'. Rectos epitheton iis tributum, qui noctu clauso cubiculo et uno lumine apposito totos se litteris dant, quo sensu accipiendum sit, nemo adhuc docuit neque doceri posse censeo. Nam de Badi interpretatione rectos idem esse confirmantis atque ‚velut recta in rem unam intentos, in eam videlicet, quam proposuerint' tacere praestat quam contra disputare, atque id eo magis, quod nemo huius explicationis patrocinium suscepit. Omnes enim, quod sciam, non tam interpretando locum illustrare, quam emendando sanare studuerunt. Et Burmannus proposuit legendum vel etiam lectus, multos testatus qui de Romanis in lecto studentibus prodiderint. Sed prorsus iniudicatum reliquit, qua ratione commotus Fabius vel etiam tanta cum emphasi addiderit illis uni lumini et clauso cubiculo, quibus omnino lectus non debebat

[1]) Providere sequente ut habes etiam VII 3. 12, resistere autem hoc sensu saepius a Fabio usurpatur velut X 3, 19.

[2]) Postremas has plagulas ad typographum missuro affertur mihi G. Aug. Herbsti editio, in qua ad hunc locum atramento adscriptum est a nescio quo B. intelligendo, unde firmatur quodammodo quod nos ipsi excogitavimus.

asseri, quippe quem unus quisque facile subaudiret. Alii velut erectos tentarunt, ad speciem fortasse non improbabiliter, sed vellem demonstrassent, cur velut a scriptore translationi tam tritae additum esset. Frotschero placuit proponere et velut erctos, i. e. septum, unde thesauros expromere liceat, quam tamen coniecturam pluribus refutare piget neque ut arbitror necessarium est, quandoquidem neminem nostrum hoc verbum inusitatum Fabio obtrusurum esse spero. Etiam velut tectos, quod multi amplexi sunt, equidem non suaserim, ut scribatur, nam alter locus, ubi tectus idem significat atque nostrum *‚geschützt'* exstat nullus. Exspectaremus saltem, a quanam re illi tecti fuisse censendi essent. Accedit quod velut ad tectos appositum nihili est. Non multo plus proficiamus, si cum Schuetzio ‚recinctos' restituamus. De veste enim recincta cogitare totius loci sensu vetamur. Halmius denique istis omnibus iure meritoque spretis crucis signum loco praeposuit, quo indicaret se certam loci medelam desperasse, in adnotatione critica tamen posuit quamvis cunctanter secretos vel coercitos. Hoc secretos a multis viris doctis laudatum probabilius saltem esse iudico omnibus quae ab aliis excogitata sunt neque me ab hoc multum abhorrere profiteor. Nihilo autem minus mihi temperare nequeo, quin quid ego de hoc loco sentiam, expromam. Agit Fabius de iis hominibus scilicet poetis vel scriptoribus, qui si modo dignum aliquid elaborare et efficere volunt, relinquunt consuetudinem amicorum et iucunditatem urbis, deserunt cetera officia, in nemora et lucos i. e. solitudinem secedunt. Sed verendum est cum Quintiliano, ne silvarum amoenitas cogitationem potius remittat quam intendat. Demosthenes melius, inquit rhetor, qui se in locum, ex quo nulla exaudiri vox et ex quo nihil prospici posset, recondebat, ne aliud agere mentem cogerent oculi. Igitur ex loco recondito, quo nos ipsi recondimus, manat illa animi intentio. Quid plura? Scribendum est: reconditos[1]). Et videor mihi dispicere, quomodo genuina huius loci lectio a describentibus corrupta sit. Fuit olim recitos[2]) scriptum, unde quam proclivi errore rectos fieri potuerit, in oculos incurrit.

Sed finis sit cum Quintiliani verbis: Etiam cum iudicium meum ostendero, suum tamen legentibus relinquam. Neque enim ego is sum, quem omnia mea delectent neque hoc profiteri audeo me unam atque alteram corruptelam sic emendasse, ut de emendationis veritate dubitari non posset: equidem satis habebo, si iudicabor in nonullis si minus ipsam veritatem assecutus esse, propius tamen quam superiores ad eam accessisse.

Sed peritorum esto iudicium. Alios nil moror. Quidni hanc meam qualemcunque commentationem in vastam futilium libellorum congeriem deiciant?

---

[1]) Cum Lessingio reconditos reddi poterit vernacule *‚eingesponnen'*.

[2]) cfr. Wattenbachium p. 25 et 32.

Ferd. Becher.